Volpi, G. A

JO. ANTONII
VULPII
PHILOLOGI AC RHETORIS
IN GYMNASIO PATAVINO,
Olim Publ. Philoſophiæ Profeſs.
OPUSCULA
PHILOSOPHICA,
Nunc primum collecta.



PATAVII. CIƆIƆCCXLIV.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
SUPERIORUM PERMISSU.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CANDIDIS
LECTORIBUS
J. A. V.

NON *me prœterit, Lectores candidi, in tanta varietate ſententiarum, & tam perturbato ſtatu ſtudiorum, hæc ſcripta mea ad Philoſophiam pertinentia, quæ nunc primum collecta prodeunt, ſuperciliosſis quibuſdam cenſoribus omnino inutilia viſum iri. Qui enim certos legunt auctores, & de certis tantum libris audierunt; qui nova ſolum mirantur, vetera ignorant aut ſpernunt; ii fere, ut conſentaneum eſt, elegantem doctrinam, hiſtoriam,* κριτικὴν, πολυμαθείαν, *res hodie obſoletas, olim cum Philoſophia conjunctiſſimas, quas ipſi ne de facie quidem noverunt, indictâ cauſſâ condemnant;*

&

& quibus magistris usi fuerint, quantum profecerint, quantum sapiant, hoc contemtu satis ostendunt. Huic hominum generi, feroci & superbâ ignaviâ (magna enim semper minantur, ne exiguis quidem præstandis pares) placere numquam studui, displicere non timui. Politioribus ingeniis atque humanioribus hæc nostra committimus; in amicorum manus venire volumus, qui Latinas litteras amant, Græcis delectantur: soli enim æstimare possunt, quam magno steterit nobis hæc qualiacumque scribere posse; soli intelligere, quid utilitatis ex varia, uberi, accurata, eleganti scriptione colligatur. Alios vero in dumetis & fimetis barbarorum semper hærentes, nubes & inania captantes, & suo tamen judicio beatos (quasi a communi sensu plane abhorrere, & exili ac sordida oratione uti, ad sapientiam requiratur) hæc attingere nolumus, nedum legere. Habent illi delicias suas & ob-

lecta-

lectamenta; in primis opinionem scientiæ, qua gaudent, qua inflati ambulant. Deest illis otium ad hæc pusilla cognoscenda. Propterea pauca admodum exempla harum Orationum, quas ab interitu vindicare cupimus (suus enim cuique carus est) typis excudi curavimus, contenti scilicet paucis lectoribus. Id saltem amicos homines ex meorum Opusculorum cognitione consecuturos speraverim: nulli viso temere assentiri, contumaciam & φιλονεικίαν exuere, fastum ponere, scire denique, nullam prope philosophorum esse sententiam ita firmam, ita exploratam, cui aliquando non fuerit contradictum, & de qua dubitare non liceat; ut iccirco ludibrium cordatis debeat quicumque, ἐξαπατῶν τῇ τοῦ προσώπου ἐντάσει,

Quod mecum ignorat, solus vult scire videri.

Valete.

NOI

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Paolo Antonio Ambrogi Inquisitore del Santo Offizio di Padova, nel Libro intitolato: *Joannis Antonii Vulpii Opuscula Philosophica*, non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 21. Luglio 1744.

(Gio. Pietro Pasqualigo Rif.
(
(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.

Registrato in libro a carte 38. *al num.* 254.

Michel' Angelo Marino Segretario.

JO.

JO. ANTONII
VULPII
ORATIO
HABITA
IN GYMNASIO PATAVINO
Quum ad Physicam publice tradendam aggrederetur.

EDITIO TERTIA
SCHOLIIS LOCUPLETATA,
ET GRÆCA EJUSDEM AUCTORIS METAPHRASI.

TRIUMVIRIS LITTERARIIS

GYMNASII PATAVINI MODERATORIBUS,

CAROLO RUZZINO

Equiti, Ædiſque D. Marci Procuratori;

ALOYSIO PISANO

Equiti, Ædiſque D. Marci Procuratori;

JOANNI PETRO PASCHALICO

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

MAXIMO *graviſſimoque munere Phyſicæ in hoc Gymnaſio Patavino publice tradendæ, juſſu veſtro atque auſpiciis ad me delato,* VIRI SUMMI, *eo primum orationis genere ſtudioſæ juventutis aures imbuere mecum ipſe decrevi quod egregiam diſciplinam a nonnullorum calumniis vindicaret, qui eam ſcilicet rebus inutilibus, ac prope nugatoriis, omnino annumerare non dubitant. Sunt enim qui ſibi ſapere videantur quum philoſophis, ut ita dicam, barbam vellunt, atque in ipſorum ſtudia liberius & petulantius jocantur: quemadmodum olim ab Ariſtophane, urbaniſſimo veteris comœdiæ poeta, factum videmus, qui de Socrate, philoſophorum ſapientiſſimo, ita loquitur in ea fabula quam Nebulas inſcripſit, ut levium fortaſſe hominum riſum excitet, cordatioribus quidem ſtomacho atque indignationi ſit. Ipſum enim ob oculos*

ponit pulicum saltus accurate metientem, & qua parte corporis culices bombum edant, sedulo perquirentem: Nubes præterea, tamquam deos, adorantem, & in calatho suspensum, quasi medium inter cælum terrasque, sublimium rerum contemplationi vacantem. eo progressa est Athenis poetarum in præstantissimos quosque viros licentia. Horum vestigia secutus fuit Lucianus ille Samosatensis, argutiis totus & lepore scatens, qui philosophorum nationi nihilo æquior, illos, ubicumque potest, non solum perstringit, verum etiam pungit, fodit, lacerat, miserisque modis divexat: quod nimirum ea se scire profiteantur quorum ignorantia laborent; quod nihil in vitam communem emolumenti conferant; quod baculo & pallio tenus virtutem colant, ceterum ebriosi, mulierosi, atque impuri sint; quod juventutem corrumpant, parasitentur, divitibus adulentur, ac denique specioso sapientiæ titulo turpe otium, ignaviam, moresque interdum perditissimos obtegant. Quæ quum adolescentes legunt suavi sermone condita, in cachinnos dissolvuntur: atque ipsis paullatim augustum Philosophiæ nomen sordet. Iccirco deinceps dant operam ut cum vulgo sentiant, caventque diligentissime, ne umquam ab humilibus curis ad cælestia consideranda mentem cogitationemque traducant. Hinc tam multi occurrunt quibus (ut Sallustii (*) verbis utar) corpus voluptati, anima oneri sit: *& in quos (**) illa Horatii perbelle conveniant:*

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopæ, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.

Ora-

(*) Belli Catilin. cap. 2.
(**) Epistola 2. lib. 1. v. 27.

Orationem igitur a me nuper in hoc celeberrimo Gymnasio habitam, qua ostendere conatus sum, quot & quam magna commoda in hominum vitam e Physicæ fonte deriventur; vixque nos recte posse aut nobiscum, aut cum parentibus, cognatis, amicis, reliquis civibus, aut cum ipso Deo agere, nisi rerum naturam penitus cognoscere studeamus; æquis animis accipite, VIRI AMPLISSIMI: *quam ideo ad* VOS *typis descriptam mittere institui, ut Nomini Vestro dicata, & a* VOBIS *benigne excepta, majorem apud omnes auctoritatem consequatur, eosque fructus pariat qui a me, quum calamum huic scriptioni primum admoverem, longe uberrimi spectabantur. Simul vigiliarum mearum apud* VOS, *quibus omnia debeo, ratio constabit, industriæque nostræ quasi specimen hæc opella exhibebit; quam, nisi vana spe fallor, plura olim & majora subsequentur. Valete interea*, VIRI AMPLISSIMI, *atque, ut facitis, Rempublicam bene ac feliciter gerite.*



IN RERUM NATURÆ COGNITIONE, AD BENE BEATEQUE VIVENDUM MOMENTA SUNT MAXIMA.

ORATIO

JOANNIS ANTONII VULPII

P. P. P.



UUM in omnium ferme artium ac disciplinarum studiis ea vel gravissima quæstio sit, Quem scilicet finem singulæ appetant, quidve utilitatis ad rempublicam administrandam, aut etiam ad privatam vitam commode agendam, ex illarum unaquaque colligi possit: maximos enim labores sine caussa suscipere, animique contentionem frustra adhibere, dementis esset: tum in hac difficillima, summeque perplexa atque implicata rerum naturæ investigatione; quæ provincia, præstanti cum dignitate conjuncta, mihi nuper ab Amplissimis, iisdemque Sapientissimis Viris est data; id ego

qui-



ΟʹΤΙ ΠΡΟʹΣ ΤΟʹ ΕΥ῀ ΖΗ͂Ν ΚΑΙʹ ΜΑΚΑΡΙʹΩΣ Ηʹ ΤΩ͂Ν ΤΗ͂Σ ΦΥʹΣΕΩΣ ΓΝΩ͂ΣΙΣ ΜΕΓΙʹΣΤΗΝ ΕʹΧΕΙ ΡʹΟΠΗʹΝ.

Λ Οʹ Γ Ο Σ

ΙʹΩΑʹΝΝΟΥ ΑΝΤΩΝΙʹΟΥ

ΤΟΥ῀ ΟΥΟΥΛΠΙʹΟΥ,

Ἐκ τῆς τῶν ῥωμαίων γλώττης εἰς τὴν ἑλλάδα φωνὴν ὑπ᾽ αὐτοῦ μετενεχθείς.



ἘΝ τοῖς ἁπασῶν τῶν τεχνῶν τε καὶ μαθημάτων ἐπιτηδεύμασιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐκείνης καὶ μάλιστα δεινῆς ζητήσεως οὔσης, τίνος δηλαδὴ τέλους ἑκάστη τούτων ἐφίεται, καὶ ὁποῖον ὄφελος πρὸς τὴν τῶν δημοσίων διοίκησιν, ἢ καὶ πρὸς τὸ τὸν ἰδιωτικὸν βίον εὐκαίρως βιοῦν, ἐξ ἐκείνων συλλέγεσθαι πᾶς τις δύναται· μεγίστων γὰρ πόνων μάτην ἀντιλαμβάνεσθαι, καὶ νοῦν τὴν ἄλλως συντείνειν, ἀνοήτου ἂν εἴη· ἐν ταύτῃ δὴ τῇ χαλεπωτάτῃ καὶ παντελῶς ἐπιπλόκῳ καὶ ἐμπεπλεγμένῃ τῶν φυσικῶν ἀνιχνεύσει, ὃ ἐπιφανεῖ τῇ ἀξίᾳ συζευχθὲν ἄρτι παρὰ τῶν ὑπερβαλλόντων κἀυτῶν σοφωτάτων ἀνδρῶν δέδοταί μοι, τοῦτ᾽ ἐγὼ μὲν ἀεὶ παν-

quidem præcipue quærendum, ſemper exiſtimavi. Neque vero exiguos fructus, aut contemnenda præmia ab iis ſpectari debere intelligebam quicumque ob ſciendi cupiditatem, Phyſicæ ita operam darent, ut a fori curiæque conſpectu longiſſime remoti, ac omnia quæ vulgus magno æſtimat, pro nihilo habentes, ſocietatem, quam ipſa inter homines natura conſtituit, aſpernari quodammodo, & deſerere viderentur. Quamquam enim experientia comprobari cernebam id quod a veteribus philoſophis toties inculcatum eſt: Rerum ſublimium atque abditarum contemplatione nihil eſſe in vita jucundius, nihil homine dignius; eamque ad conciliandos animos, & tamquam ſuaviſſimo veritatis pabulo reficiendos valere plurimum; ſuſpicabar tamen, majus aliquod bonum, quodque latius diffunderetur, & ad omnes honeſtatis partes permanaret, ex hujuſmodi ſtudiis petendum eſſe. Qua quidem conjectura ductus, animadvertere cœpi triplicem illam philoſophandi rationem quæ olim a Platone accepta, & quaſi per manus tradita, tot jam ſæcula permanſit; unam videlicet de diſſerendo; cujus ope vera a falſis, recta a pravis, conſentientia a repugnantibus in oratione dijudicari & diſtingui ſolent: alteram de univerſi natura, rebuſque occultis: tertiam de moribus formandis, & civitate optimis legibus inſtituenda: qua partitione ad id quod quærebam, inveniendum expediendumque maxime ſum adjutus. Videbam etenim, ſummos illos viros, excellentibus, ac prope divinis ingeniis præditos, qui nobis primum hæc

præ-

τὸς ζητητέον ἀεὶ ἐνόμισα. Οὐ μὴν καρπὲς ἐλαχίςες, ἢ ἄθλα δὴ καταφρόνητα παρ' ἐκείνων ἀποβλέπεσθαι δεῖν ἔμαθον, ὁπόσοι τῆ τῦ ἐπίςασθαι ἐπιθυμίας ἕνεκα, περὶ τὰ φυσικὰ ἕτως εἶεν, ὡς τὴν ἀγορὰν, καὶ τὸ βελτίειον ὁρᾶν πολλῦ δέοντες, καὶ πάντων τῶν τοῖς πολλοῖς μάλα τιμωμένων ἅπαξ καταφρονῦντες, τῆς κοινωνίας, ἧς μεταξὺ ἀνθρώπων ἡ φύσις αὐτὴ συνέταξεν, ὀλιγωρεῖν τινὰ τρόπον καὶ ἀπολείπειν δόξειαν. Καίπερ γὰρ ἐμπειρείᾳ δοκιμάζεσθαι ἔβλεπον τὸ πρὸς παλαιῶν φιλοσόφων τοσάκις παρεμβληθέν· τῆ τῶν ὑψηλῶν καὶ κρυπτῶν θεωρήσεως ἐδὲν γλυκύτερον ἐν τῷ βίῳ, ἐδὲν ὃ τῷ ἀνθρώπῳ μᾶλλον ἂν πρέπῃ· κἀυτὴν πρὸς τὸ τὰς ψυχὰς ἐξιλᾶν, καὶ ὥσπερ ἡδίςῃ τῆ ἀληθείας τροφῇ ἀναψύχειν, μέγιςα δύνασθαι· ὑπώπτευον ὅμως, μεῖζόν τι ἀγαθὸν, ἐπὶ πλατυτέρως διακεχυμένον, καὶ πρὸς τὰ πάντα τῦ κάλλυς μέρη καταῤῥῦν παρὰ τοιέτων ἐπιτηδευμάτων αἰτητέον. Ω͂ μὲν ςοχασμῷ ἑπόμενος, τῦ προσέχειν ἠρξάμην τῷ τριπλασίῳ ἐκείνῳ τῦ φιλοσοφεῖν τρόπῳ, ὅς ποτε ὑπὸ Πλάτωνος δεχθεὶς, καὶ οἱονεὶ διὰ χειρῶν προδεδομένος, τοσαύτας ἤδη γενεὰς διέμεινε· τῷ μὲν δηλονότι περὶ τῦ διαλέγεσθαι, ἐξ βοηθῦντος τὰληθῆ ἐκ τῶν ψευδῶν, τὰ ὀρθὰ ἐκ τῶν ςρεβλῶν, τὰ συμφωνῦντα ἐκ τῶν ἀντιμαχομένων διακρίνεσθαι ἐν λόγῳ καὶ διαγινώσκεσθαι πέφυκε· τῷ δὲ περὶ τῆ τῦ παντὸς φύσεως, καὶ περὶ τῶν κρυφίων· ἑτέρῳ δὲ περὶ τῆ τῶν ἠθῶν διατυπώσεως, καὶ περὶ τῦ τὴν πόλιν ἀείςες νόμες παιδεύειν· ἡ διαίρεσις πρὸς τὸ εἰσάγειν καὶ ἀναλύειν τὸ ζητέμενον, ἐμοὶ μάλιςα συνήνεγκεν. Ἑώρων γὰρ, ὑπερτάτες ἐκείνες ἄνδρας, καὶ ὀλίγε δεῖν θείων εὐφυϊῶν λαχόντας, οἱ πρῶτοι ταῦτα τὰ ἔνδοξα περιεποί-

præclara peperere, quum ſe totos ad ſapientiæ ſtudium contuliſſent, a cæli, terræque natura conſideranda, quaſi a carceribus quibuſdam, profectos, eum poſtea finem tenuiſſe, ut ad humani generis utilitatem univerſæ philoſophiæ ratio potiſſimum redundaret. Quum enim plane perſpexiſſent admirabilis hujus operis quod mundum appellant, conſtitutionem; quibuſque vinculis a procreatore & gubernatore Deo connexum & colligatum fuerit, ne ulla umquam vi aut labefactari, aut diſſolvi poſſet: quis item ejus partium inter ſe ordo, quæ figura, quis uſus, quæ ad mutuam ſalutem conſpiratio, in eam paullatim ſententiam devenere, ut hominem ita demum beatum fore dicerent, (1) ſi Deo pareret, ſi naturam ducem ſequeretur, ſi reliquis mundi partibus conſentiret, ſi denique hujus magnæ civitatis, quæ omnia ſuo ambitu & ſinu continet, neque inutilem, neque ſeditioſum civem ſe præſtaret. Multum igitur præſidii poſitum eſt in totius cognitione naturæ, non ſolum ad medicinam ægris corporibus adhibendam, verum etiam ad animi morbos depellendos, qui plerumque ex veri ignoratione conſequi ſolent. Sed priuſquam de re tanta copioſius verba facere, & cur ita ſit, argumentis docere, aggrediar, Triumviris Litterariis, hujus Patavini Gymnasii Moderatoribus, qui nobilitate, ſapientia, rerum geſtarum gloria, patriæ caritate, optimarum artium amore, principem in Republica locum obtinent, ac toti pariter Veneto Senatui, cujus in

ποίῶνται ἡμῖν, ὁπόταν σφᾶς αὐτοὺς ὅλους πρὸς τὸ τῆς σοφίας ἐπιτήδευμα συνεβάλοντο, ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς τὴν φύσιν τοῦ θεωρεῖσθαι, καθάπερ ἐκ βαλβίδος τινὸς, προελθόντας, τὸ ἐκεῖνο ἔπειτα τέρμα λαβεῖν, ὡς φιλοσοφίαν σύμπασαν εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπων γένους λυσιτέλειαν τὰ μάλιστα περιουσιοῦσαι. Σκεψάμενοι γὰρ ἀκριβῶς τὴν τούτου θαυμαστοῦ ἔργου, ὃ κόσμον προσαγορεύομεν, κατάστασιν· ὁποίοις τε δεσμοῖς ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ τῶν ὅλων καὶ κυβερνήτου θεοῦ συμπέπλεκται, καὶ συνδέδεται, ὡς μηδεμιᾷ οὐδέποτε δυνάμει λυμαίνεσθαι δύνηται, ἢ ἀπολύεσθαι· τίς ἔτι ἡ τῶν μερῶν αὐτοῦ πρὸς ἄλληλα τάξις, τί σχῆμα, τίς χρεία, καὶ ἡ πρὸς τὴν ἀμοιβαίαν σωτηρείαν σύστασις· κατὰ μικρὸν εἰς ἐκείνην τὴν διάνοιαν κατῆλθον, ὡς ἄνθρωπον τέως οὕτω μακάρειον ἔσεσθαι λέγωσιν, εἰ Θεοῦ ὑπακούῃ, εἰ τῇ φύσει ἕπηται ὥσπερ ἡγεμόνι, εἰ λοιποῖς μέρεσι κόσμου συμφωνῇ, καὶ τὸ τελευταῖον εἰ ταύτης τῆς μεγάλης πόλεως, τῆς τῷ ἑαυτῆς περιβόλῳ καὶ κόλπῳ πάντα καταλαβούσης, οὐδ' ἄχρηστον, οὐδὲ στασιώδη πολίτην ἑαυτὸν παρέχῃ. Πολὺ γοῦν τῆς φρουρᾶς τέθειται ἐν ὅλης τῇ τῆς φύσεως ἐπιγνώσει, οὐ μόνον πρὸς τὸ τὰ νόσιμα τῶν σωμάτων θεραπεύειν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ τοῦ θυμοῦ νόσους ἀπάγεσθαι, ἃς πολλάκις τῇ τοῦ ἀληθοῦς ἀγνοίᾳ, ἕπεσθαι συμβαίνει. Πρὶν δ' ἂν περὶ τηλικούτου πράγματος διεξοδικωτέρους λόγους ποιήσω, καὶ διὰ τί οὕτως ἔχει, ταῖς πίστεσι διδάσκειν ἐπιχειρήσω, τοῖς ζῶσιν ἄρχουσι τοῖς τούτου ἐν τῷ Παταβίῳ γυμνασίου γράμμασιν ἐφισαμένοις, εὐγενείᾳ, σοφίᾳ, τῶν πραχθέντων δόξῃ, τῆς πατρίδος ἀγάπῃ, τῶν ἀρίστων τεχνῶν ἔρωτι, τῶν πρωτείων καὶ τῆς προεδρείας ἐν τῇ πολιτείᾳ κρατοῦσι, καὶ ὅλῃ ἐπίσης τῇ τῶν Ἐνετῶν συγκλύτῳ γερουσίᾳ, ἐν ἧς ἐπιτροπῇ καὶ φυλακῇ πάν-

in fide ſumus omnes quotquot doctrinis liberalibus delectamur, gratias immortales ago; quod me litterato in otio conquieſcentem, huic doctiſſimorum hominum concilio adjungendum cenſuerint, illuſtrique decreto voluntatem hanc ſuam declarare voluerint. Quo tamen Ampliſſimi Ordinis de me judicio tantum abeſt ut ad ſuperbiam, vel ad ignaviam abuti velim; ut potius totis artubus contremiſcam quoties & accepti beneficii magnitudinem, & ſuſcepti muneris difficultatem, & virium mearum imbecillitatem æſtimare incipio: & quis ipſe ſim, quidve a me jure poſtuletur, ſerio cogitare. (2) Sed hæc Divinæ Providentiæ, ut ſpero, curæ erunt: interea, quod ad vos attinet, Auditores, humanitate ac benevolentia veſtra conatibus noſtris favete.

Ut igitur a notiſſimis initium faciam; id primum omnium ſatis conſtare arbitror, nobiliores philoſophos qui antiquis temporibus magna nominis celebritate in Græcia floruere, quamvis de rebus graviſſimis, ac de omni fere vitæ ratione inter ſe diſſiderent, id unum tamen communi quodam decreto ſciviſſe, extraque omnem controverſiam poſuiſſe, Optimam vivendi magistram esse naturam; cujus propterea vocem ſi quis audiat, præceptiſque obtemperet, non poſſit non eſſe beatus: at, contra, ſi quis obſiſtere ac repugnare in animum inducat, hunc ſtatim miſerum & calamitoſum eſſe oporteat. Sive enim ad Peripateticos te conferas, elegantioris omnis ac ſolidioris doctrinæ parentes, qui ad beatam vitam efficiendam honeſtati

τες ὁπόσοι τοῖς μαθήμασι τοῖς ἐλευθερίοις χαίρομεν, ἐσμὲν, ἀθάνατον χάριν ἔχω· ὅτι με ἐν ἀνέσει τῶν γραμμάτων ἡσυχάζοντα, ἐν ταύτῃ τῶν ἐλλογιμωτάτων ἀνδρῶν συνόδῳ ἄξιον ἀριθμεῖσθαι ἐνόμισαν, καὶ ψηφίσματι ἐπιφανεῖ τοῦτ' ἑαυτῶν θέλημα δηλῶσαι ἐβουλήθησαν. Ἧι ὅμως τῆς μεγίστης τάξεως περὶ ἐμοῦ κρίσει τοσοῦτον ἀπέχω τοῦ πρὸς ἀλαζονείαν ἢ ῥαθυμίαν καταληρῆσθαι, ὥς τε μᾶλλον τρέμειν τοῖς μέλεσιν ὅλοις, ὁσάκις καὶ τὸ τοῦ προσληφθέντος εὐεργετήματος μέγεθος, καὶ τὴν τοῦ παραδεχθέντος ἔργου χαλεπότητα, καὶ δυνάμεων τῶν ἐμῶν ἀῤῥωστίαν ἄρχομαι ἀποτιμᾶν· καὶ τίς ἐγὼ, καὶ τί ἀπ' ἐμοῦ εἰκότως ἀπαιτεῖται, σπουδῇ νοῆσαι. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὖν, ὡς ἐλπίζω, τῇ τοῦ Θεοῦ προνοίᾳ μελήσει· ἐν τῷ μεταξὺ, ὃ συντείνει εἰς ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες ἀκροαταὶ, μετὰ τῆς ὑμῶν φιλανθρωπίας τε καὶ εὐνοίας, τοῖς ἡμετέροις ἐγχειρήμασι συμπράττετε.

Ὡς οὖν ἀπὸ τῶν γνωριμωτάτων ἄρχωμαι, πρὸ πάντων ἐκεῖνο φανερὸν καὶ ὁμολογούμενον εἶναι ὑπολαμβάνω, τοὺς ἐνδοξοτάτους τῶν φιλοσόφων, ὅσοι ἐν τοῖς πάλαι χρόνοις μεγάλης δόξης τυχόντες ἤκμασαν κατὰ τὴν ἑλλάδα, καίτοι περὶ μεγίστων, καὶ σχεδὸν περὶ ὅλου τρόπου τοῦ βίου πρὸς ἀλλήλους μαχομένους, ὅμως ἐκεῖνο μόνον ὥς τι κοινὸν ψήφισμα ψηφίσασθαι, καὶ ἅπαξ ἀναμφίσβητον θέσθαι, Α'ΡΙΣΤΟΝ ΤΟΥ͂ ΖΗ͂Ν ΔΙΔΑ'ΣΚΑΛΟΝ ΕΙ͂ΝΑΙ ΤΗ'Ν ΦΥ'ΣΙΝ· ἧς διὰ τοῦτο φωνῆς εἴ τις ἀκούῃ, καὶ τοῖς παραγγέλμασι πείθηται, οὐ δύνηται οὐκ εἶναι μακάριος· ἀλλὰ μὴν, ἀντικρὺ, εἴ τις ἀνθίστασθαι καὶ πολεμεῖν εἰς νοῦν ἐμβάλληται, τοῦτον παραλήρημα τάλανα καὶ δυστυχῆ εἶναι ἄξιον ᾖ. Εἴτε γὰρ πρὸς Περιπατητικοὺς σαυτὸν μεταφέρῃς, τοὺς ἁπάσης τῆς χαριεστέρας καὶ στερεωτέρας διδα-

σκα-

nestati sane vim plurimam tribuerunt, sed & quædam bona corporis, & nonnulla porro externa requisivere, ex quorum accessione plenior nimirum & cumulatior exsisteret beatitudo: sive Stoicorum rationem cognoscendi cupidus sis, qui de finibus bonorum cum superioribus verbo discrepantes, re ipsa consentientes, unam virtutem rerum humanarum dominam appellavere; in eaque omnia quæcumque ad bene beateque vivendum opus essent, contineri, dixere: cetera vero quæ secundum naturam sint, valetudinem puta, sensuum integritatem, pulchritudinem, robur, divitias, potentiam, gloriam, præponenda quidem ac sumenda esse, docuerunt, non tamen bonorum nomine dignari voluerunt: sive denique Carneadem, vel Epicurum, aut Hieronymum Rhodium sequi malis, quorum unus conservationem earum rerum quæ primæ a natura nobis datæ sunt, alter voluptatem, tertius nescio quam vacuitatem doloris, extrema bonorum posuere: omnium tamen una vox erit, In rerum naturam, (3) tamquam in speculum, nobis inspiciendum esse; quidve ipsa imperet, quid appetat, quid asciscat; rursum, a quo abhorreat, quid improbet, quid rejiciat, diligentissime considerandum. Neque vero sine ratione certa, id persuasum fuit hominibus acutissimis: natura enim, ut M. Tullio videtur, (4) in animis nostris virtutum quædam semina inclusit, quæ celeriter, cupiditatibus in diem succrescentibus, a malæ consuetudinis corruptela sic obruuntur, & quasi suffocantur, ut perraro fructus parere ex se possint. Quum enim

naturæ

σκαλίας τοκεῖς, οἵ πρὸς τὸ μακάρειον βίον ποιεῖσθαι τῷ κάλλει δὴ πολλὴν δύναμιν ἀπένειμαν, ἀλλὰ καὶ ἔνια μὲν τοῦ σώματος ἀγαθὰ, ἔνια δὲ τῶν ἔξωθεν ἐκάλεσαν· εἴτε δὲ τῶν Στωϊκῶν μέθοδον ἐπιθυμῇς πυθέσθαι, οἵ περὶ τέλους ἀγαθῶν τῆς τῶν προειρημένων διανοίας ῥήματι μὲν ἀφεστῶτες, ὄντως δὲ αὐτοῖς προσήκοντες, μόνην τὴν ἀρετὴν ἀνθρωπίνων δέσποιναν προσηγόρευσαν· κἀυτῇ πάνθ' ὅσων δεῖ ἐπὶ τὸ καλῶς καὶ μακαρείως βιοῦν, συνέχεσθαι ἔφασαν· τἄλλα δὲ κατὰ φύσιν, ὑγείαν δήπου, αἰσθήσεων ἀδιαφθαρσίαν, κάλλος, ἰσχὺν, πλοῦτον, δύναμιν, δόξαν, προηγμένα μὲν καὶ ληπτέα εἶναι ἐδίδαξαν, ἀλλ' οὐκ ἀγαθῶν ὀνόματος ἠθέλησαν ἀξιοῦσθαι· εἴτε τὸ τελευταῖον Καρνεάδῃ, ἢ Ἐπικούρῳ, ἢ Ἱερωνύμῳ τῷ Ῥοδίῳ, μᾶλλον ἕπεσθαι θέλῃς, ὧν πρῶτος μὲν τὴν ἀπ' ἀρχῆς παρὰ τῆς φύσεως ἡμῖν δοθέντων συντήρησιν, δεύτερος ἡδονὴν, τρίτος δὲ οὐκ οἶδ' ἣν ἀναλγησίαν, ἀγαθῶν ἔσχατα ἔθεντο· πάντων ὅμως μία φωνὴ ἔσται, εἰς τὴν τῶν ὄντων φύσιν, ὥσπερ εἰς κάτοπτρον, ἡμῖν εἰσβλεπτέον· καὶ τί αὐτὴ κελεύει, τί ὀρέγεται, τί προαιρεῖται· τοὐναντίον τί δυσχεραίνει, τί ἀποδοκιμάζει, τί ἀποβάλλεται, σκεπτέον μετὰ μεγίστης ἐπιμελείας. Οὐδὲ μὴν ἄνευ βεβαίου λόγου τοῦτο πεπεισμένοι εἰσὶν οἱ τῶν ἀνθρώπων εὐμηχανώτατοι· φύσις γὰρ, ὡς Μάρκῳ Τυλλίῳ δοκεῖ, ἐν ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς ἔνια τῶν ἀρετῶν σπέρματα κατέκλεισεν, ἃ ταχέως, ἐπιθυμιῶν καθ' ἡμέραν ὑποφυομένων, παρὰ τῆς τοῦ κακοῦ ἔθους διαφθορᾶς οὕτω καταβάλλονται καί τινα τρόπον ἐμπνίγονται, ὡς πάνυ σπανίως καρποφορεῖν ἐξ ἑαυτῶν δύνασθαι. Ἐπειδὴ γὰρ τῆς φύσεως οἱ νόμοι τῆς

ἰδιω-

naturæ leges a vulgari intelligentia ſint remotiores, videmus plerumque, imperitos homines eo ſe abripi ſinere quo perturbationum æſtu feruntur; & quum libidinibus frena laxaverint, tunc ſe mirifice naturam ſecutos putare: quaſi vero uti ratione, pravoſque appetitus ea regente coercere, non ſit naturæ hominis maxime conſentaneum. Qui tamen error modo memoratam philoſophorum ſententiam ſummopere confirmat; quum iſti ipſi qui peccant, ſatis idoneam excuſationem ſe afferre credant, ſi id ſe facere dicant ſuadente quodammodo, atque impellente natura. Ne igitur ulla re impediamur quominus ad illum quem quiſque expetit, tranquillæ, felicis, abſolutæque vitæ portum perveniamus, (5) diſcutiendæ ſunt nobis luce veritatis, ignorationis caligines; quibus involutos, a recta via ſemper aberrare neceſſe eſt. Ac primum quidem in univerſi hujus contemplatione mentis acies defigenda; ejuſque ſuperæ, atque inferæ partes attentius perluſtrandæ; quibus cognitis, multo facilius humanæ naturæ notitiam nobis comparabimus. Tria ſunt autem potiſſimum, quæ de hominis officio a philoſophis quæri ac diſputari ſolent: (6) quid videlicet homo ſibi ipſe debeat; quid ceteris hominibus, quos omnes cognatione quadam attingit; quid mundi effectori, rerumque principi Deo: in his vero ſingulis egregiam eſſe ajo naturalis ſcientiæ utilitatem. Hoc igitur divinum animal, cujus cauſſa cælum terraſque fabricatos eſſe deos immortales, ſaniores philoſophi tradidere, duabus diſſimillimis inter ſe naturis, mente

nimi-

ἰδιωτικῆς νοήσεως χωριζόμενοι τυγχάνουσιν ὄντες, ὁρῶμεν ἐπὶ πολὺ τοὺς ἀπείρους τῶν ἀνθρώπων, ἑαυτοὺς ἐᾶν ἀφαρπάζεσθαι, ὅπη τοῖς τῶν παθῶν κύμασι φέρονται· καὶ ἀκολασίαις οὔτε χαλινοὺς ἀνιῶσι, τότε θαυμαστῶς τὴν φύσιν δεδιωκέναι νομίζειν· ὥσπερ ἂν εἰ τὸ λόγῳ χρῆσθαι, αὐτῷ τε διοικοῦντι πονηρὰς ὁρμὰς καθείργειν, οὐ φύσει ἀνθρώπου μάλιστα ἔπρεπεν. Ἥ μέντοι πλάνη τὴν τῶν φιλοσόφων γνώμην ἄρτι μεμνημονευμένην ἀνυπερβλήτως βεβαιοῦται· ἐπειδήπερ οἱ αὐτοὶ ὅσοι ἁμαρτάνουσιν, ἅλις ἐπιτήδειον παραίτησιν προσφέρειν νομίζουσιν, εἰ αὐτοὺς ἐκεῖνο ποιεῖν λέγωσι πειθούσης τινὰ τρόπον καὶ διωθουμένης τῆς φύσεως. Ἵνα μὴ οὖν παρὰ πράγματος τινὸς κωλυόμεθα εἰς ἐκεῖνον πᾶσιν αἱρετέον τῆς ἡσύχου, καὶ μακαρίας, καὶ τελείας ζωῆς τὸν λιμένα παρήκειν, ἄξιόν ἐστι διασεῖσαι τῷ τῆς ἀληθείας φωτὶ τὸ σκότος τῆς ἀγνοίας, ᾧ περιβεβλημένους ἀνάγκη τῆς ὁδοῦ τῆς εὐθείας διαπαντὸς ἁμαρτάνειν. Καὶ πρῶτον μὲν εἰς τὴν τοῦ κόσμου τούτου θεωρίαν τὴν τῆς διανοίας ὀξύτητα καταπηκτέον· ἐκείνου τε καὶ τὰ ἄνω καὶ κάτω προσεχέστερον περιοδευτέον· ἃ γνωρίσαντες, πολλῷ ῥᾷον τὴν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως γνῶσιν ἡμῖν ποιησόμεθα. Τρία δὲ μάλιστά ἐστιν, ἃ περὶ τοῦ καθήκοντος τοῦ ἀνθρώπου, ζητεῖσθαι καὶ διαλέγεσθαι εἰώθασιν οἱ φιλόσοφοι· τί δηλαδὴ ἄνθρωπος ὀφείλῃ αὐτὸς ἑαυτῷ· τί ἄλλοις τε ἀνθρώποις, ὧν πάντων συγγενείᾳ τινὶ ἐπιψαύει· τί τῷ τοῦ κόσμου δημιουργῷ, καὶ ὄντων ἄρχοντι Θεῷ· ἐν ἑκάστοις δὲ τούτοις ὑπέροχον εἶναί φημι τὴν τῆς φυσικῆς ἐπιστήμης χρηστότητα. Τοῦτο οὖν τὸ θεῖον ζῶον, οὕτινος ἕνεκα οὐρανὸν καὶ γῆν κατασκευάσασθαι θεοὺς ἀθανάτους οἱ εὖ φρονοῦντες τῶν φιλοσόφων παραδεδώκασιν, ἐκ δυεῖν ἀνομοιοτάταιν ἐν ἀλλήλαις φύσεων συνέστηκε, νοῦ δήπου καὶ

nimirum & corpore, conſtat: neque enim aut Dicæarchum, aut Ariſtoxenum audiendos puto, qui quum animus qualis eſſet, intelligere ac definire non poſſent, rei obſcuritate permoti, (7) nullum omnino eſſe, dixere: neque Democriti, ſummi ceteroquin viri, rationem hoc in genere habendam exiſtimo, qui ex corpuſculis individuis, ut omnia, ſic mentem etiam cogitationemque componi voluit. Platonis auctoritatem ſequor; quem graviſſimis rationibus adductum video, ut ſecus de animo judicaret quam reliquis iſtis philoſophis viſum eſt, naturam ullam corporis expertem propterea inveniri poſſe negantibus, quod eam ſenſibus minime aſſequerentur. Altera igitur harum partium, e quibus hominem exſiſtere diximus, ab omni mortali concretione prorſus libera & ſegregata eſt, vimque mirabilem in ſe continet intelligendi; nam & præterita recordatur, & præſentia complectitur, & futura providet; ad eamque potiſſimum pertinet veri falſique judicium. Hac homo plurimum diſtat a ceteris animantibus: in eaque propemodum, tota hominis natura ſita eſſe videri poteſt. Quod cauſſa Platoni fuit, præceptum illud Apollinis quo jubebat Unumquemque ipſum ſibi notum eſſe, ad ſolam humanæ mentis cognitionem referendi; cenſebat enim vir maximus, (8) animum tantummodo hominem eſſe, non corpus, non utrumque. Inducit enim (9) quodam loco cum Alcibiade in hanc fere ſententiam Socratem diſſerentem: Id quod aliquo utatur, tamquam inſtrumento, aliud eſſe oportere atque illud ipſum quo utitur; ſicuti faber &

mal-

σώματος· οὐδὲ γὰρ ἢ Δικαιάρχου, ἢ Ἀριστοξένου ἀκροατέον ἡμῖν ἡγοῦμαι, οἳ τὴν ψυχὴν, τί ποτε ἦν, διαγινώσκειν οὐ δυνάμενοι, πράγματος ἀσαφείᾳ διακινηθέντες, ἔλεξαν οὐδεμίαν παντελῶς εἶναι· οὐδὲ Δημοκρίτου, ἄλλως τε ὑπερφυοῦς ἀνδρὸς, λόγον ἐν τούτῳ τῷ γένει ποιητέον ὑπολαμβάνω, ὃς ἐκ σωματίων ἀτόμων, καθάπερ καὶ τἆλλα πάντα, οὕτω καὶ νοῦν καὶ νόημα συνίσασθαι βεβούληται. Πλάτωνος ἀξιώματι ἕπομαι, ὃν ὑπὸ δεινοτάτων λόγων πεισθέντα ὁρῶ, ἄλλως περὶ τοῦ νοῦ δικάζεσθαι, ἢ τοῖς λοιποῖς τούτοις τῶν φιλοσόφων ἔδοξε, τοῖς οὐδεμίαν φύσιν ἀσώματον ὑφίστασθαι δύνασθαι διὰ τοῦτο ἐξαρνουμένοις, ὅτι ταῖς αἰσθήσεσιν ἐκείνης οὐκ ἀφικνοῦντο. Τούτων τοιγαροῦν τῶν μερῶν, ἐξ ὧν εἶναι τὸν ἄνθρωπον ἐλεξάμεθα, τὸ ἕτερον, ὑπὸ πάσης συμπήξεως θνητῆς ἐλεύθερόν ἐστι πάνυγε καὶ χωριστόν· δύναμιν δὲ θαυμαστὴν ἐν αὐτῷ περιέχει τοῦ νοεῖσθαι· μέμνηται δὲ τῶν παρῳχημένων, καὶ τὰ παρόντα περιβάλλει, καὶ τὰ μέλλοντα προορᾶται· κἀκείνῳ διαφερόντως προσήκει ἡ τοῦ ἀληθοῦς καὶ τοῦ ψεύδους κρίσις. Τούτῳ ἄνθρωπος μάλιστ' ἀπέχει τῶν λοιπῶν ζώων· καὶ ἐν ἐκείνῳ παρὰ μικρὸν ὅλη ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις κεῖσθαι δοκεῖν δύναται. Ὃ Πλάτωνι αἴτιον ἦν, τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἐκεῖνο παράγγελμα, ᾧ ἐκέλευεν ὁ θεὸς ἕκαστον ἑαυτὸν γνῶναι, εἰς μόνην τὴν τοῦ ἀνθρωπείου νοῦ γνῶσιν ἀναφέρεσθαι· ἐνόμιζε γὰρ ὁ μέγιστος ἀνὴρ, ψυχὴν μόνως ἄνθρωπον εἶναι, οὐ σῶμα, οὐδ' ἑκάτερον· Εἰσάγει γάρ ποθι τὸν Σωκράτην πρὸς ταύτην σχεδὸν τὴν γνώμην τῷ Ἀλκιβιάδῃ διαλεγόμενον· ὃ χρῆταί τινι ὡς ὀργάνῳ, τοῦτο δεῖν ἄλλο εἶναι ἐκείνου αὐτοῦ ᾧ χρῆται· καθάπερ ὁ τέκτων καὶ ἡ σφύρα φύσει διαφέρειν ἀλλήλων διαγινώσκονται· τὴν

malleus natura differre intelliguntur: animum vero ad agendum corpore uti: aliud igitur esse animum, aliud corpus. Præterea quum animum in dominatu locari necesse sit, corpus autem animi imperio parere debeat, non posse hæc duo, genere ac dignitate longe diversa, in unam quasi naturam coalescere: quod enim ex tam dissimilibus mixtum foret, oppositis motibus assidue cieri contingeret, ex quorum congressu omnis vitæ actio non solum disturbaretur, verum etiam funditus tolleretur. Quam rationem Zeno, totaque Stoicorum familia valde probavit; statuitque, corpus hoc quod gerimus, ex terrenis crassisque elementis compactum, & iccirco dissolutioni obnoxium, in alienis rebus prorsus numerandum esse: intelligebant enim, quamvis animus doctrina excultus inanes cupiditates maxime in officio contineret, multa nihilominus corpori accidere posse, quæ prohibere, vel emendare in hominis potestate non sit. Colligebant itaque, (10) animum tantummodo humanum, quæque ad ipsum proxime pertinerent, opinionem scilicet, appetitum, declinationem, & quæcumque nostra sunt opera, neque cogi, neque impediri posse: corporis vero servilem atque infimam conditionem esse, quod & ad nutum animi præsto sit, & huic rerum universitati necessario obtemperet, a qua injuriis & plagis quotidie afficiatur. (11) Vilis igitur abjectique mancipii talem curam suscipere debemus, ut a quo operam exigimus, ei justa præbeamus: ne si nimis aspere duriterque tractetur, sub onere fortasse deficiat; (12) si contra, nimis libe-

raliter,

ψυχὴν δὲ πρὸς τὸ ἐνεργεῖν τῷ σώματι χρῆσθαι· ἄλλο οὖν εἶναι τὴν ψυχὴν, ἄλλο τὸ σῶμα. Ἐπὶ τούτοις ἀναγκαίου ὄντος, τὴν μὲν ψυχὴν ἐν ἀρχῇ τάττεσθαι, τὸ δὲ σῶμα τῇ τῆς ψυχῆς ἡγεμονίᾳ πείθεσθαι πρέπειν, οὐχ' οἷόν τε τούτω δύο, γένει καὶ ἀξίᾳ πόῤῥω διαφέροντε, μιᾷ ὡσπερεὶ συμφύεσθαι φύσει· τὸ γὰρ τοσοῦτον ἀνομοίοις συμμιχθὲν, ἐναντίαις κινήσεσιν ἐντελεχῶς κινεῖσθαι συμβαίη ἂν, ὧν τῆς ὁμιλίας πᾶσα ἡ τοῦ βίου πρᾶξις οὐ μόνον εἴργοιτο ἂν, ἀλλ' ἔτι παντελῶς ἐκ θεμελίων ἀναιροῖτο. Ὃν λογισμὸν ὁ Ζήνων καὶ ὅλη τῶν Στωϊκῶν οἰκία μάλ' ἐδοκίμασε· καὶ διέγνω τουτὶ τὸ σῶμα ὃ φέρομεν, ἐξ ἐπιγείων καὶ παχυλῶν στοιχείων πηκτὸν, καὶ διὰ τοῦτο ἔνοχον τῇ διαλύσει, ἀλλοτρίοις πάνυγε συναριθμητέον· κατενοοῦντο γὰρ, καί τοι ἡ ψυχὴ διδασκαλίαις ἐπικοσμηθεῖσα τὰς κενὰς ἐπιθυμίας καταχοίη μάλιστα καὶ παύσειε, πολλὰ μηδὲν ἧττον τῷ σώματι δύνασθαι συμβαίνειν, ἃ κωλύειν, ἢ κατορθοῦν, ἐπ' ἀνθρώποις οὐ κεῖται. Συνέλεγον τοιγαροῦν, τὴν μὲν ἀνθρωπίνην ψυχὴν μόνως, τά τε αὐτῇ ἔγγυστα προσήκοντα, δόξαν δηλαδὴ, ὄρεξιν, ἔκκλισιν, καὶ ὅσα ἡμέτερα ἔργα, οὐδ' ἀναγκάζεσθαι δυνατὸν, οὐδ' ἐμποδίζεσθαι· τὸ δὲ τοῦ σώματος κλῆρον δουλικὸν εἶναι, καὶ κατώτατον, ὅτι πάρεστι πρὸς τὸ τῆς ψυχῆς νεῦμα, καὶ τῷ παντὶ τούτῳ ὑπακούει· παρ' οὗ καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ πληγὰς ἔχει, καὶ ἀδικίας ἀδικεῖται. Φαύλου γοῦν ἀνδραπόδου καὶ ἀτίμου ἡμῖν οὕτως ἐπιμελητέον, ὡς παρ' οὗτινος ἀπαιτοῦμεν τοὔργον, ἐκείνῳ παρέχωμεν τὰ δίκαια· ὅπως μὴ χαλεπῶς εἰ ἄγαν καὶ σκληρῶς αὐτῷ χρώμεθα, ὑπὸ μόχθῳ ἴσως ἐκλείπῃ· τοὐναντίον, εἰ λίαν ἐλευθερίως, καθάπερ ἵππος ἀγαλλόμενος

raliter, tamquam equus ferocitate exſultans, herile imperium omnino contemnat. Nemo autem, niſi a natura doctus, modo & ratione vitam agit: nemo, niſi ex naturæ præſcripto, videre poteſt, quatenus aut corpori indulgendum, aut valetudini ſerviendum, aut fruendum voluptate ſit. Hinc perturbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio, hinc judiciorum ſumma perverſitas: hinc mille morborum genera oriuntur, quæ nec vitare frugalitate, nec tolerare patientia poſſumus: ut ideo neceſſe ſit, in ægritudine ac metu omne vivendi tempus conſumere, plenum ſtomachi & querelarum. Quod ſi aſoti & libidinoſi homines, quum ex intemperantia morbum contraxerint, ad medicorum opem ſe confugere dicant; putamúſne, ſine accuratiſſima naturæ conſideratione, ullam omnino futuram fuiſſe medicinam? quæ ars non immerito a primis hominibus deorum immortalium inventioni conſecrata eſt: quam ſi quis perdiſcere cupiat, hunc profecto, & ingenii abundantia, (13) & multiplici rerum ſcientia præſtare oportet. Quid eſt enim tam abſtruſum, quid tam denſis tenebris a natura ipſa occultatum, quod non aſſiduo ſtudio, longaque periclitatione medicorum induſtria patefecerit? Hi vires elementorum, præcipue vero hujus aeris, quem ſpirando ducimus, hi (14) temporum opportunitates, hi locorum varietates, hi volatilium, terreſtrium, fluviatilium, marinarum animantium genera, ex quarum corporibus remedia morbis & vulneribus eligerent, ſagaciſſime ſunt perſecuti. Horum ſollertia herbæ ſtirpeſque

ἀχρειότητι, τῆς δεσποτικῆς ἀρχῆς παντελῶς καταφρονῇ. Οὐδεὶς δὲ, πλὴν εἰ μὴ διδασκόμενος ἀπὸ τῆς φύσεως, μετὰ τρόπου καὶ λόγου διάγει τὸν βίον· οὐδεὶς, εἰ μὴ ἐκ φυσικῆς ἐπιτάξεως, ὁρᾷν δύναται, παρ' ὅσον ἢ τῷ σώματι συγχωρητέον, ἢ τῇ ὑγιείᾳ δουλευτέον, ἢ τῶν ἡδονῶν ἀπολαυστέον. Ἐντεῦθεν ἡ τοῦ βίου ταραχὴ ἕπεται, καὶ μεγάλη σύγχυσις, ἐντεῦθεν ἡ τῶν κρίσεων ἐσχάτη διαστροφή· ἐντεῦθεν μυρία νόσων εἴδη γίνεται, ἃ μήτε φεύγειν εὐτελείᾳ, μήτε φέρειν ὑπομονῇ δυνάμεθα· ὥστε διὰ τοῦτο ἀνάγκην εἶναι ἐν λύπῃ καὶ φόβῳ πάντα τὸν τοῦ ζῆν χρόνον ἀναλίσκειν, πλήρη ἀγανακτήσεως καὶ μεμψιμοιρίας. Εἴπερ γὰρ οἱ ἄσωτοι καὶ ἀκόλαστοι τῶν ἀνθρώπων, ἐξ ἀκρατείας νόσον συνάξαντες, πρὸς τὴν τῶν ἰατρῶν ἐπικουρίαν σφᾶς καταφεύγειν λέγωνται, ἆράγε λογιζόμεθα, ἄνευ ἐπιμελεστάτης τῇ φύσει σκέψεως, τινὰ παντάπασι μέλλουσαν ἔσεσθαι ἰατρικήν; ἡ τέχνη οὐκ ἀναξίως τῇ τῶν θεῶν τῶν ἀθανάτων εὑρέσει παρὰ τῶν πάλαι καθιερώθη· ἣν εἴ τις ἐκμανθάνειν ἐπιθυμῇ, τοῦτον, ὡς ἀληθῶς, καὶ δαψιλείᾳ εὐφυΐας, καὶ πολυπλασίῳ πραγμάτων ἐπιστήμῃ χρὴ διαφέρειν. Τί γὰρ οὕτω κρυφαῖον, τί τοσαύτῃ σκοτίας πυκνότητι ὑπὸ τῆς αὐτῆς φύσεως ἀποκρυφθὲν, ὃ συνεχῇ σπουδῇ, καὶ μακροῖς κινδυνεύμασιν, ἡ τῶν ἰατρῶν οὐκ ἂν δηλώσειε φιλοπονία; ἤτοι στοιχείων δυνάμεις, μάλιστα δὲ τοῦ ἀέρος τούτου, ὃν πνέοντες ἄγομεν, ἤτοι χρόνων εὐκαιρίας, ἤτοι τόπων ποικιλίας, ἤτοι πηγῶν, ἐπιγείων, ποταμίων, θαλαττίων ζώων γένη, ἐξ ὧν σωμάτων ὅπως ἂν θεραπείας νόσοις καὶ τραύμασιν ἐκλέγοιεν, δεξιῶς μάλιστα δεδιώκασι. Τούτων ἀγχινοίᾳ βοτάναι σωτήριοι καὶ ῥιζοφυτὰ ἐκ μέσου τῶν βλαβερῶν καὶ λοιμωδῶν διώρισται καὶ διακεχώρισται·

pesque salutares a nocentibus & pestiferis distinctæ ac separatæ sunt: multaque ex intimis terræ cavernis in lucem protracta, quæ ad vitam hominum conservandam magnos usus afferrent. Ad hos pertinet admirabilem humani corporis fabricam, ossium commissuras, nervorum implicationem, venarum angustias, viscerum situm figuramque, subtilem denique tanti operis descriptionem attentis oculis perlustrare ac rimari: ut si quid in eo fatiscere, si quid laborare inceperit, medendi ratio certa sit atque explorata. Quibus nobilissimæ artis muneribus doctissimos viros quorum præsentia me recreat atque confirmat, ita fungi videmus, ut per illos plura sint inventa quæ majorum nostrorum temporibus in abdito latuere. Si quis autem eos interrogare voluerit, quæ facilior & expeditior declinandi morbi, ac tuendæ valetudinis ratio sit; respondebunt, credo, temperantiæ frenis domitas habere libidines, (15) tenuem victum anteferre copioso, laboris & quietis vicissitudinem probe nosse, ut neutro modus excedatur, angore & sollicitudine vacare: ut liquido appareat, sanitati corporis non parum conducere virtutem. Quemadmodum autem citharœdus, nisi contentis ac temperatis fidibus utatur, absurdos elicit sonos; ita, si corpus ægrotet, (16) principem illam hominis partem quam Græci τὸ ἡγεμονικὸν appellant, simul cum corpore hebescere ac debilitari contingit. Quo magis cavendum est, ne aut voluptatibus corrupti, aut nimia etiam animi contentione vexati, in morbos incidamus: fit enim haud raro, ut quidquid

immo-

καὶ πολλὰ ἐκ μυχάτων ἄντρων τῆς γῆς παρέλκηται, οἷς πρὸς τὸ ζωὴν ἀνθρώπων φυλάξαι μεγάλαι χρεῖαι ἂν εἶεν. Τούτοις προσήκει θαυμαστὸν ἀνθρωπείου σώματος τέχνημα, ὅσων συναφείας, νεύρων ἐμπλοκὴν, φλεβῶν στενότητας, ἐντέρων τοποθεσίαν καὶ σχῆμα, τὴν λεπτομερῆ τὸ τελευταῖον τηλικούτου ἔργου διαγραφὴν προσεχέσιν ὀφθαλμοῖς κατασκοπεῖσθαι καὶ ἰχνεύειν· ὡς εἴ τι ἐν αὐτῷ χαίνειν καὶ μοχθεῖν ἄρχηται, τὸν τοῦ θεραπεύειν τρόπον, βέβαιον καὶ πρόδηλον εἶναι. Ταῦτα δὲ τῆς εὐγενεστάτης τέχνης ἔργα παρὰ τῶν ἐλλογιμωτάτων ἀνδρῶν, ὧν παρουσίᾳ ἐγὼ ἀναζωπυροῦμαι καὶ κρατύνομαι, οὕτως ἀποτελεῖσθαι ὁρῶμεν, ὡς πολλὰ εὑρηκέναι δι' ἐκείνων, ἃ ἐν τοῖς τῶν προγόνων χρόνοις ἀπόκρυφα λέληθεν. Εἴτις δὲ αὐτοὺς ἐρωτᾷν βούλοιτο, τίς ποτε ῥᾳδίων καὶ προχειρότερος τοῦ νόσον ἐκφεύγειν καὶ ὑγίειαν φυλάττειν εἴη ἂν τρόπος, ἀποκριθήσονται, ὡς ἡγοῦμαι, τοῖς σωφροσύνης χαλινοῖς δεδμημένας ἔχειν τὰς ἐπιθυμίας, τὴν λεπτὴν τροφὴν τῆς εὐπόρου προτιμᾷν, πόνου καὶ ἡσυχίας ἀμοιβὴν καλῶς γινώσκειν, ἕως οὐδετέρῳ μέζον ὑπεραίρεσθαι, ἄχθους καὶ φροντίδος κενὸν εἶναι· διὰ τοῦτο φανερόν ἐστι τῇ τοῦ σώματος ὑγιείᾳ τὴν ἀρετὴν οὐκ ὀλίγον συμφέρειν. Καθάπερ δὲ κιθαρῳδὸς, εἰ μὴ συντεταμέναις χορδαῖς καὶ εὐκράτοις χρῆται, ἀλόγους ἤχους ἐξάγει, οὕτως εἰ σῶμα πονήρως ἔχει, τὸ πρωτεῦον ἐκεῖνο τοῦ ἀνθρώπου μέρος, ὃ ἡγεμονικὸν οἱ Ἕλληνες καλοῦσι, μετὰ τοῦ σώματος ἀμβλύνεσθαι καὶ ἐξασθενίζεσθαι συμβαίνει. Μάλιστα οὖν εὐλαβητέον μὴ διεφθαρμένοι ταῖς ἡδοναῖς, ἢ συντόνῳ σπουδῇ κακουχέμενοι, περιπίπτωμεν νόσοις· γίνεται γὰρ οὐ σπανίως, ἅπαν οὗ ἀμέτρως ὀρεγόμεθα, ἐκεῖνο εἰς λοιμὸν καὶ ὄλεθρον ἡμῖν τρέπεσθαι.

Ἕτε-

immoderate appetimus, id nobis in peſtem perniciemque vertatur. Sed & alia cauſſa eſt, eaque graviſſima, cur ipſis diſciplinarum ſtudiis modum aliquem imponere debeamus; ne ſcilicet hominum curam, quorum commodis amplificandis natura nos genuit, omnino abjeciſſe videamur. Neque enim (17) in beatorum inſulis vitam degimus, ubi neceſſitate omni ſoluti, hoc unum propoſitum habeamus, rerum cognitione frui; quum potius ipſa nos philoſophia, humanæque naturæ cognita & perſpecta conditio a ſtudiis immoderatis ad tuendam ornandamque civilem ſocietatem revocet quodammodo atque traducat. Enimvero quum ceteri homines aut condendis legibus, aut exercendis judiciis, aut domibus ædificandis, aut agro colendo, aut mercaturis faciendis, utilem reipublicæ operam tribuant; non intelligo cur ſoli philoſopho hæc venia danda ſit, ut ad hoc quaſi commune convivium ſine ſymbola accedat, fucorumque morem imitetur, qui ipſi otioſi atque inertes, parata ab apibus mella conſumere, ac rapto vivere conſuevere. Neque illa tamen a ſapientiæ ſtudioſis flagitanda ſunt quæ a vulgaribus hominibus facile præſtari poſſunt: (18) quis enim porticibus forum circumdare, aut urbis muros vetuſtate collapſos reficere cupiens, non architectum potius quam philoſophum conſulit? ſed quorum ſcientiam profitemur, magna profecto & mirabilia, ea vero in uſum civitatis conferamus neceſſe eſt. Quod niſi laboris tædio refugerimus; quæ tandem turres, quæ propugnacula firmiorem patriam, contraque hoſtium impetus mu-

Ἕτερον δὲ αἴτιόν ἐστι, καὶ δὴ μέγιστον, ἐφ' ὅτῳ τοῖς αὐτοῖς τῶν μαθημάτων ἐπιτηδεύμασιν ἔνιον τρόπον ὀφείλομεν ἐπιτίθεσθαι· μὴ δηλονότι, τὴν τῶν ἀνθρώπων φροντίδα, οἷς τὰ συμφέροντα μεγάλα ποιήσοντες πεφύκαμεν, παντελῶς ἀποβαλεῖν δοκῶμεν. Οὐ γὰρ ἐν ταῖς τῶν μακαείων νήσοις τὸν βίον διάγομεν, ὅπου πάσης ἀνάγκης λελυμένοι, τοῦτο μόνον ὑποτεθὲν ἔχωμεν τὸ τῶν ὄντων γνώσεως ἀπολαύειν· ὁπότε μᾶλλον αὐτὴ φιλοσοφία, καὶ ἀνθρωπείου φύσεως ἐγνωσμένος καὶ δεδοκιμασμένος ὁ κλῆρος ἐξ ἀμείζων ἐπιτηδευμάτων πρὸς τὸ σώζειν καὶ κοσμεῖν τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν, ἡμᾶς ἀνακαλεῖ τίνα τρόπον καὶ μετάγει. Ἀλλὰ μὴν τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἢ τῶν νομοθετεῖν νόμους, ἢ δίκας δικάζειν, ἢ οἰκοδομήματα κατασκευάζειν, ἢ ἀγροὺς γεωργεῖν, ἢ ἐμπορεύεσθαι καὶ καπηλεύειν, ὠφέλιμον ἔργον τῇ πολιτείᾳ διακονούντων, οὐ συνίημι τίνος ἕνεκα μόνοις τοῖς φιλοσόφοις οὐσίαν ἔχειν προσήκει, πρὸς τοῦτο δηλονότι ὥσπερ πρὸς κοινὸν συμπόσιον ἀσυμβόλους παραγίνεσθαι, κηφήνων ἔθος μιμουμένους, οἳ ἄτεχνοι καὶ ἀπράγμονες, τὸ ταῖς μελίτταις παρασκευασμένον μέλι δαπανᾷν, καὶ ἀφ' ἁρπαγμοῦ ζῆν εἰώθασι. Μήθ' ὅμως ἐξαιτητέον τοὺς φιλοσόφους τὰ παρὰ τῶν τυχόντων ῥᾳδίως ἐπιτελεῖσθαι δυνάμενα· τίς γὰρ περιβάλλειν τῇ ἀγορᾷ στοὰς, ἢ τὰ τῆς πόλεως τείχη δι' ἀρχαιότητα συμπεπτωκότα ἐξαρτίζειν ἐπιθυμῶν, οὐκ ἀρχιτέκτονι μᾶλλον, ἢ φιλοσόφῳ περὶ τούτων συμβούλῳ χρῆται; ἀλλ' ὧν τὴν ἐπιστήμην ἐπαγγελλόμεθα, μεγάλα δὴ καὶ θαυμαστὰ, τῇ τῆς πόλεως χρείᾳ ἐπιφέρειν ἡμᾶς ἀνάγκη. Ὅπερ εἰ μὴ διὰ ῥαθυμίαν, ἢ πόνου μῖσος ἀποτροπιάσωμεν, τίνες ποτε πύργοι, τίνες προβολαὶ βεβαιοτέραν τὴν πατρίδα, κἀπὶ

munitiorem efficient, quam civium animi ſapientiæ præceptis ad honeſtatem, fortitudinemque excitati? Quæ porro ſigna, quæ tabulæ pictæ eum templis baſilicisque nitorem atque ornatum addent, qui cum adoleſcentium verecundia, cum virorum fide ac probitate, cum ſenum conſiliis & gravitate, quæ omnia ex uberrimo philoſophiæ fonte petuntur, ulla ex parte comparari mereatur? Hinc enim pietas in ſuperos initium ſumit, cognita eorum providentia, quæ in rerum cæleſtium ſempiterno ordine, ac totius mundi gubernatione maxime elucet: ex pietate autem juſtitia oritur, in qua præcipue civium ſalus, & reipublicæ ſumma conſiſtit. Hinc & caſuum humanorum deſpicientia effloreſcit, quum perſpexerimus & præſentis vitæ brevitatem, & futuræ æternitatem: ut contra fortunæ vim ſemper armati, nulloque metu perculſi, æquo animo feramus adverſa; imminutaque re familiari, nihil damni nos feciſſe arbitremur ſi unam virtutem obtinuerimus. Quapropter veriſimillimum judico id quod hiſtoriarum monumentis celebratur: Philoſophos nimirum, qui tum Sapientes appellabantur, priſcis hominibus auctores fuiſſe, ut ſilvis montibuſque relictis, in quibus olim diſperſi ac diſſipati, beſtiarum more, vagabantur, domiciliis primo, deinde conjugiis, tum legum & diſciplinæ communione alter alteri jungerentur. Quo ſaluberrimo, planeque divino inſtituto ardores libidinum repreſſi, certiſque finibus conſtricti & cohibiti ſunt, quos tranſire homines ſine immani ſcelere non poſſent. (19) Tunc a matrum ſororumque con-

cubitu

κἀπὶ τῶν πολεμικῶν ἐπιδρομῶν ὀχυρωτέραν ποιήσουσιν, ἢ πολιτῶν ψυχαὶ σοφίας παραγγέλμασι πρὸς καλοκαγαθίαν, καὶ ἀνδρείαν ἐγηγερμέναι; τίνα δὲ ἀγάλματα, τίνα ζωγραφήματα τοσαύτην λαμπρότητα καὶ κόσμησιν τοῖς ἱεροῖς καὶ ταῖς βασιλικαῖς περιθήσει, ἢ ἂν τῇ μειρακίων αἰδοῖ, τῇ ἀνδρῶν πίστει καὶ χρηστότητι, ταῖς γερόντων βουλαῖς καὶ σεμνότητι, ὧν πάντων εὐπορώτατος πηγή ἐστι φιλοσοφία, μέρος τι ἀντιπαραβάλλεσθαι ἄξιος εἴη; Ἐντεῦθεν γὰρ ἡ εὐσέβεια πρὸς τὸ θεῖον ἀπάρχεται, προνοίας ἐκείνου ἐγνωσμένης, ἢ δὴ ἐν τῇ τῶν οὐρανίων αἰωνίῳ τάξει, καὶ τοῦ παντὸς διοικήσει μάλιστα διαλάμπει· ἐξ εὐσεβείας δὲ γίνεται δικαιοσύνη, ἧς ἐξαιρέτως ἡ τῶν πολιτῶν σωτηρεία, καὶ τῆς πολιτείας τὸ κεφάλαιον ἐφίσαται. Ἐντεῦθεν ἡ τῶν τοῖς ἀνθρώποις συμβαινόντων καταφρόνησις ἐπανθεῖ, ἐπὰν ἴδωμεν δηλονότι καὶ τὴν τῆς παρούσης ζωῆς βραχύτητα, καὶ τὴν τῆς ἐσομένης ἀϊδιότητα, ὡς ἐπὶ βίας τῆς τύχης πάντα χρόνον ὡπλισμένοι, καὶ οὐδενὶ φοβερῷ ἐκπλαγέντες, ἀνεκτῶς φέρωμεν ἀτυχίας, ἠλαττομένων δὲ τῶν κτημάτων, οὐδεμίαν βλάβην ἔχειν οἰώμεθα, εἰ μόνης κρατήσομεν ἀρετῆς. Διόπερ πιθανώτατον ἡγοῦμαι τὸ ἐν ἰσοειῶν μνήμαις θρυλλέμενον, τοὺς φιλοσόφους δηλαδὴ, οἳ τότε σοφοὶ προσηγορεύοντο, τοῖς πάλαι αἰτίους καὶ συμβούλους γεγονέναι, τοῦ ὕλας καὶ ὄρη ἐκλιπεῖν, ἐν οἷς ποτὲ διεσπαρμένοι καὶ διεσκεδασμένοι, θηρίων δίκην, περιεφέροντο, οἰκήμασι τὸ πρῶτον, μετὰ ταῦτα γάμοις, τὸ τελευταῖον καὶ νόμων παιδείας τε κοινωνίᾳ, ἀλλήλοις συνάπτεσθαι. Ὢ σωτηρειώδει, καὶ πάνυ θείῳ παιδεύματι, τὰ τῶν ἐπιθυμιῶν καύματα κατακεκράτηται, καὶ τέρμασιν ἀκριβέσι συνέσταλται, καὶ συνδέδεται· ἃ

παρα-

cubitu abſtineri cœptum : ut videlicet quædam perſonarum ſanctitas eſſet, ac (20) ſocietatis caritas plures familias complecteretur. Tunc nuptiis legitima ætas præfinita, ne adoleſcentes, antequam ipſi corporis maturitatem adepti eſſent, de uxore ducenda cogitarent; neve puellæ nondum adultæ matresfamilias fieri cuperent: quod niſi legibus cautum foret, procliviores homines ad concubitum evaderent, cui nimis tempori aſſuevissent, infirmioreſque liberos ex ſe procrearent. (21) Illud quoque a ſapientibus monitum video, quod utinam conſuetudo ſuſcepiſſet; Non id ſolum in conjugiis ſpectandum eſſe ut dotatæ mulieres ex opulentis domibus eligantur, ſed potius optimis moribus imbutæ, curaque parentum ad pudicitiam pudoremque informatæ, nulloque corporis vitio inſignes; quod qui negligunt propter divitiarum cupiditatem, & minus morigeris uxoribus utuntur, & male profecto conſulunt poſteritati: quum enim plerumque contingat, matrum ſimiles naſci filios, civibus quidem reſpublica quotidie augetur, ſed iis ſæpe mancis, debilibus, mente captis, corpore demum atque animo diſtortiſſimis. Neque vero ſatis eſſe crediderim, vacuas urbes cœtu ac multitudine hominum frequentare; niſi & manſuetiſſimos, & probos, & diis hominibuſque acceptos noſtro e ſemine ſuppeditare ſtudeamus. Ut enim per invias deſertaſque ſolitudines quis iter facere malit, quam per culta quidem loca, ſed feris latronibuſque infeſta; ſic & urbibus florentiſſimis, quas malorum ſcelera & inſidiæ compleant, ruris vaſtitas ac tranquilli-

παραβαίνειν ἄνθρωποι ἄνευ ἀπηνοῦς ἀδικήματος οὐκ ἂν δύναιντο. Τότε τῇ σὺν μητράσι καὶ ἀδελφαῖς ἐπιμίξεως ἀπέχεσθαι ἤρξαντο, ὡς εἶναι δηλαδή τινα τῶν προσώπων ὁσιότητα, καὶ τῶν τῆς κοινωνίας φιλοστόργω πλείους οἰκείας περιέχεσθαι. Τότε γάμοις νόμιμον ἡλικίαν προωρίζοντο, μὴ νεανίσκοι πρὶν αὐτοὺς τῆς ὡραιότητος τοῦ σώματος ἐπιτυχεῖν, διανοήσειαν γυναῖκα λαβεῖν· καὶ μὴ κόραι οὔπω ἀκμάζουσαι οἰκοδεσποινῶν ἀξίωμα ταχέως ἀπαιτήσειαν. Καλὴ δὲ περὶ τούτου νόμων εὐλάβεια· φυλάττονται γὰρ οὕτως ἄνθρωποι πρὸς συνουσίαν ἀποκλίνειν, σφόδρα εὐκαίρως πρὸς αὐτὴν ἐθιζόμενοι, καὶ ἀσθενεστέρους παῖδας ἐξ αὐτῶν ποιεῖσθαι. Καὶ πρὸς τούτοις ἐκεῖνο παρὰ τῶν σοφῶν οἶδα παραινούμενον, ὅπερ εἴθε δέξαιτ' ἂν τὸ ἔθος· οὐκ ἐκείνῳ μόνῳ προσεκτέον ἐν γάμοις, ἐπὶ προίκους γυναῖκας ἐκ πολυχρημάτων οἰκιῶν ἐκλέγεσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον βελτίστους τρόπους πεπαιδευμένας, καὶ τῇ τῶν γεννησάντων φροντίδι πρὸς ἁγνείαν καὶ σεμνότητα ὑποτυπωθείσας, καὶ οὐδεμιᾷ ἐπισήμους τοῦ σώματος κακίᾳ· οὐ παραμελοῦντες διὰ χρημάτων ἐπιθυμίαν, καὶ οὐχ ὑπηκόοις χρῶνται ταῖς γυναιξί, καὶ τοῦ μέλλοντος χρόνου ἥκιστα πρόνοιαν ποιοῦσιν· ἐπειδὴ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ συμβαίνει, τῶν μητέρων ὁμοίους τίκτεσθαι τοὺς παῖδας, πολίταις μὲν καθ' ἡμέραν ἡ πόλις αὔξεται, πηροῖς δ' ἐκείνοις ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἀσθενέσι, φρενοληπτοις, τὸ τελευταῖον σώματι καὶ διανοίᾳ μάλιστα διεστραμμένοις. Οὐδὲ μὴν ἀποχρῶν ἂν πιστεύσειεν ταῖς τῶν πόλεων κεναῖς ὁμηγύρεως καὶ πλήθους ἀνθρώπων ἡμᾶς θαμίζειν· εἰ μὴ καὶ ἡμερωτάτους, καὶ χρηστοὺς, καὶ θεοῖς ἀνθρώποις τε δεκτοὺς ἐξ ἡμετέρου σπέρματος ἐκποιεῖζειν ἐπιτηδευώμεθα. Ὡς γὰρ δι' ἀνύδρων καὶ ἀπολειφθεισῶν ἐρημιῶν τις ὁδοιπορεῖν προαιρεῖται, ἢ διὰ μὲν εἰργασμένων

quillitas longe præponenda eſt. Quid nunc de amicitia loquar? cui ſecundum propinquorum caritatem veteres phyſici honoris plurimum tribuere. Hanc (22) Epicurus ipſe; cujus illa fertur philoſopho indigna vox, Se niſi voluptatis cauſſa, ne digitum quidem fuiſſe verſurum; ita naturæ hominis accommodatam exiſtimavit, ut ſine ipſa minus tutam, minuſque jucundam vitam fore, prædicaret. At hic quidem amicitiæ præſidio voluptatem, quam dies noctesque venabatur, ſe facilius aſſecuturum ſperavit. Oportet autem rem tam eximiam, tam ſanctam, tam humano generi ſalutarem, non quæſtu noſtro, aut delectatione, ſed ſua ipſius pulchritudine ac dignitate metiri; ne amicis fœneratoris animo beneficia largiamur, vel eos colamus ut prædia, quorum expetere ſolemus fertilitatem. Præterea ita nos comparare debemus, ut omnibus quicumque hominis figuram vultumque præſeferant, quantum in nobis eſt, bene conſultum velimus, nihilque humani a nobis alienum putemus: eſt enim unicuique noſtrum (23) animus ex mente divina acceptus, corpuſque ſimili ex materia concretum: (24) neque nobilium atque ſervorum alia natura eſt: neque magiſtratus, aut potentia, aut exaggeratæ opes, aut litterarum armorumque gloria quidquam in homine mutat, vel de communi mortalitate quemquam eximere poteſt. (25) Quid eſt enim turpius, quid ſceleſtius, rogo vos, Auditores, quum quis eruditione ac ſapientia reliquis præſtet, quam imperitos homines, arctiſſimo ſecum naturæ vinculo conſociatos, perpetuo in er-

roribus

μένων τόπων, ἀλλὰ δὲ παρὰ θηρία καὶ λῃστὰς ὀχληρῶν· οὕτω καὶ πόλεων ἐξαιρέτως ἀνθουσῶν, ἀλλὰ μεστῶν ἐπιβουλῆς καὶ κακουργημάτων, τὴν τοῦ ἀγροῦ ἐρημίαν τε καὶ ἡσυχίαν οἱ φρονοῦντες πολλῷ προκρίνουσι. Τί νῦν δ' εἴπω περὶ φιλίας; ἣν μετὰ τὴν τῶν συγγενῶν ἀγάπην οἱ πάλαι τῶν φυσικῶν πλείστην τιμὴν ἀπένειμαν. Ταύτην αὐτὸς ὁ Ἐπίκουρος· οὗτινος ἐκείνη φέρεται φιλοσόφου ἀνδρὸς ἀνάξιος φωνὴ, οἳ πλὴν ἡδονῆς ἕνεκα, οὐδὲ τὸν δάκτυλον μελήσεσθαι στρέφειν· οὕτω τῇ τοῦ ἀνθρώπου φύσει ταύτην ἐπιτήδειον ἐνόμισε καὶ ἱκανὴν, ὥστε αὐτῆς ἀνελομένης, ἧττον ἀσφαλῆ, καὶ ἧττον ἡδὺν τὸν βίον ἀνηγορεύετο. Καὶ οὗτος μὲν τῆς φιλίας συμπραττούσης, ἤλπικε τῆς ἡδονῆς, ἣν ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐθηρεύετο, τεύξεσθαι μηδενὶ πόνῳ. Χρὴ δὲ πρᾶγμα οὕτως ὑπέροχον, οὕτως ἅγιον, οὕτω γένει τῶν ἀνθρώπων σωτήριον, οὐχ' ἡμετέρῳ κέρδει, οὐδὲ τέρψει καταμετρεῖν, ἀλλ' αὐτοῦ κάλλει καὶ ἀξιώματι· μὴ τοῖς φίλοις γνώμῃ δανειστοῦ τὰς εὐεργεσίας χαριζώμεθα, ἢ αὐτοὺς γεωργῶμεν καθάπερ τὰ χωρία, ὧν τῆς πολυφορίας ἐπιθυμεῖν εἰώθαμεν. Πρὸς τούτοις, ἡμᾶς αὐτοὺς οὕτω παρασκευάζειν ὀφείλομεν, ὡς πάντων οἵτινες ἀνθρώπου μορφὴν καὶ βλέμμα προφέρουσιν, ὅσον ἐφ' ἡμῖν, εὖ ἐπιμελεῖσθαι βουλώμεθα· ἔστι γὰρ ἐνὶ ἑκάστῳ ἡμῶν ψυχὴ μὲν ἐκ νοῦ θείου ληφθεῖσα, σῶμα δὲ ἐξ ὁμοίας ὕλης συμπαγέν· οὐδ' εὐγενῶν καὶ δούλων φύσις ἄλλη· οὐδὲ τὸ ἄρχειν, ἢ πολλὰ δύνασθαι, ἢ χρημάτων σωρὸν συναγαγεῖν, ἢ γραμμάτων καὶ ὅπλων δόξα μεταβάλλει τι ἐν ἀνθρώπῳ, ἢ τῆς τοῦ θανάτου κοινωνίας ἐξαίρετόν τινα ποιεῖν δύναται. Τί γὰρ αἴσχιον, τί πονηρότερον, ὑμῶν δέομαι, ὦ ἄνδρες ἀκροαταὶ, ἢ παρά τινος παιδείᾳ καὶ σοφίᾳ τῶν ἄλλων διενεγκόντος, ἀπείρους ἀνθρώπους, μετ' αὐτοῦ στενωτάτῳ

roribus verſari ſinere, neque illos conſilio juvare, aut virtutis viam docere, quum poſſit? quid vero tam abſurdum, quam & ipſorum vitia acerbius inſectari? quæ fortaſſe miſeri declinarent, niſi veritatis ignoratio omne rerum diſcrimen ex eorum judiciis ſuſtuliſſet. (26) Timonis igitur, (27) & Cyclopum valde reprehendenda ratio eſt, quos hominum generi omnino iratos, atque a civili conſuetudine abhorrentes, in agris ac ſpeluncis vixiſſe, accepimus: ita vero humanitatis oblitos, ut neque hoſpitii jura noſſent, nec ullis egentium calamitatibus a ſuo negotio agendo umquam dimoverentur. Horum ſimiles nonnulli e numero philoſophorum mihi videri ſolent, qui dulcedine contemplationis abrepti, omnia humana ſe negligere, dictitant: ne exitio quidem patriæ, ut de Archimede illo a ſcriptoribus proditum eſt, jucundiſſima ſtudia relicturi. Quod quum Socrates, oraculi ſententia mortalium ſapientiſſimus judicatus, diligenter animadvertiſſet, philoſophiam primus e cælo deduxit, hominumque cœtibus deinceps intereſſe voluit, ac de juſtitia potiſſimum diſceptare: (28) credo, non quod Phyſicam improbaret, quam & ipſe, ab Anaxagora doctus, non mediocriter excoluerat, ſed quod eam ad publicas utilitates præcipue referri debere, contenderet. Hoc igitur unice ſpectemus qui rerum naturam ſcrutamur, huc noſtra conſilia omnia cogitationeſque dirigamus, ut beneficentia adverſus homines, Deum Optimum Maximum, quocumque modo poſſumus, imitemur; qui, quum ei beatiſſimo eſſe liceret, nulla etiam rerum admini-

φύσεως δεσμῷ συνδεθέντας, ἐν σφάλμασιν ἀεὶ διατρίβειν ἐᾶσθαι, οὐδ' αὐτὸν ἐκείνοις βουλεία βοηθεῖν, οὐδ' ἀρετῆς ὁδὸν δεικνῦναι, δυνάμενον ὄντα; τί δὲ οὕτως ἄτοπον, ὡς καὶ τὰς αὐτῶν κακίας πικρότερον καταδιώκειν; ἀφ' ὧν ἐξέκλινον ἂν οἱ δυστυχεῖς, εἰ μὴ τῆς ἀληθείας ἄγνοια πᾶσαν τὴν τῶν πραγμάτων διαφορὰν ἐκ τῶν κρίσεων τῶν αὐτῶν ἀνείλοιτο. Τίμων οὖν, καὶ Κυκλώπων ἔθος μάλα ψεκτέον, οὓς πρὸς ἀνθρώπων γένος παντελῶς χαλεπαίνοντας, καὶ πολιτικὴν συνήθειαν μυσαττομένους, ἐν ἀγροῖς καὶ σπηλαίοις βιῶσαι, παρὰ τῶν μύθων ἠκούσαμεν· οὕτω δὲ φιλανθρωπίας ἐπιλελησμένους, ὥστε οὐδὲ τὰ τῆς ξενίας δίκαια διεγίνωσκον, καὶ οὐδεμιᾷ τινι τῶν ἀπορούντων συμφορᾷ ἐκ τοῦ τὰ ἴδια πράττειν διεκινοῦντο. Τούτων ὅμοιοί τινες τῶν φιλοσόφων ἐμοὶ δοκεῖν εἰώθασιν, οἱ γλυκύτητι θεωρίας ἀφαρπασθέντες, πάντων ἀνθρώπων ὀλιγώρως ἔχειν πολλάκις λέγουσιν, οὐδὲ τῆς πατρίδος ὀλέθρῳ, τὰ ἥδιστα τῶν ἐπιτηδευμάτων ἀπολείψεσθαι, ὡς περὶ Ἀρχιμήδους ἐκείνου ἐν ἱστορίαις γέγραπται. Ὅπερ Σωκράτης ὁ Σωφρονίσκου, τῇ τοῦ μαντείου ψήφῳ τῶν θνητῶν ὁ σοφώτατος δικασθείς, ἀκριβῶς αἰσθανόμενος, φιλοσοφίαν πρῶτος ἐξ οὐρανοῦ κατήγαγε, καὶ τῇ τῶν ἀνθρώπων ὁμιλίαις ἔπειτα παρεῖναι ἐβουλήθη, καὶ περὶ δικαιοσύνης μάλιστα διακρίνεσθαι· ἡγοῦμαι, οὐχ' ὅτι φυσικὴν ἐξεφαύλιζεν, ἣν καὐτὸς ὑπ' Ἀναξαγόρου πεπαιδευμένος οὐ μετρίως ἐξειργάζετο· ἀλλ' ὅτι πρὸς τὰ τῇ πόλει ὠφέλιμα ἐκείνην ἀναφέρεσθαι δεῖν ἐνόμιζε. Τοιγαροῦν τοῦτο σκοπῶμεν ἐξαιρέτως οἱ τῶν ὄντων τὴν φύσιν διερευνῶντες, πρὸς τοῦτο τὰς ἡμετέρας βουλὰς καὶ διανοίας διευθύνωμεν, ὡς τῇ πρὸς ἀνθρώπους εὐεργεσίᾳ τὸν Θεὸν τὸν ἄριστον καὶ μέγιστον μιμώμεθα, ὃς μακαριώτατος εἶναι δυνάμενος

ministratione suscepta (omnia enim bona in se continet præcellens illa ac divina natura) mundum tamen condere, hominesque fingere, in animum induxit, ne deessent scilicet in quos largus & liberalis esse posset. Hujus autem primæ rerum omnium, æternæ, immutabilis, ac præpotentis caussæ notitia, hominis felicitas præcipue continetur. Si quis enim illi, cui maria terræque obediunt, se omnino ducendum regendumque permiserit, in ejusque providentia facillime acquieverit, hunc semper hilarem, semper voti compotem vivere, hunc nullis adversis frangi, nullo metu conturbari, nihil agere invito animo, numquam de fortuna queri, necesse est. Nam quum illud semel tenuerimus, A Deo res humanas curari, ipsumque hominum justitia ac recte factis maximopere delectari; & studiosius virtuti operam dabimus, & si quæ perpessu aspera nobis acciderint, ea moderate feremus, neque continuo nos in summis malis esse putabimus. Quis autem, nisi stultissimus, quum improbos & sceleratos homines copiis omnibus circumfluere interdum aspiciat, bonos contra paupertate, exsilio, ignominia premi, hoc temere fieri existimet, Deumque negligentiæ, aut etiam iniquitatis accuset, quæ vitia in eum cadere nullo modo possunt; ac non potius, cur tale aliquid eveniat, altiorem subesse caussam, suspicetur? Quod si nos homunculos humi stratos, in divina consilia curiosius inquirere liceat; sapientissimum illum mundi rectorem, quum pios variis calamitatum generibus exercet, id agere intelligemus, ut eorum

μενος, καίπερ οὐδεμίαν τῶν ὄντων διοίκησιν ἀποδέξαιτο ἂν (πάντα γὰρ τἀγαθὰ ἐν αὐτῇ περιέχει ἡ διαφέρουσα ἐκείνη φύσις, καὶ θεία) κόσμον κτίζειν, κἀνθρώπους δημιουργεῖν εἰς νοῦν ἐνεβάλετο· ἡγοῦμαι, ἵνα μὴ ἐκλείπωσιν, πρὸς οὓς δαψιλὴς ἂν εἴη.

Τῇ ταύτης δὲ πρώτης πάντων τῶν ὄντων, αἰωνίου, ἀμεταβόλου, καὶ μέγα δυναμένης αἰτίας γνώσει, ἡ τοῦ ἀνθρώπου εὐδαιμονία μάλιστα περιέχεται. Εἴ τις γὰρ ἑαυτὸν τῷ τῆς γῆς καὶ θαλάττης κρατοῦντι παντελῶς ἄγεσθαι καὶ διευθύνεσθαι ἐπιτρέψῃ, καὶ τῇ αὐτοῦ προνοίᾳ μάλα προθύμως ἐφησυχάσῃ, τοῦτον ἀεὶ φαιδρὸν, ἀεὶ κατατυχόντα διάγειν, τοῦτον οὐδεμίαις θλᾶσθαι δυσπραξίαις, οὐδενὶ φόβῳ ταράττεσθαι, οὐδὲν ἄκοντα ποιεῖν, οὐδέποτε μέμφεσθαι τὴν τύχην, πᾶσα ἀνάγκη. Καὶ γὰρ ἡμεῖς ἐκεῖνό ποτε διδαχθέντες, Θεὸν φροντίζειν τὰ τῶν ἀνθρώπων, κἀυτῷ δικαιοσύνην τὴν ἡμετέραν καὶ κατορθώματα πλείστην παρέχειν ἡδονὴν, καὶ μάλα σπουδάσομεν τῆς ἀρετῆς, καὶ ἐπὰν συμβῇ τὰ δυσφόρητα, αὐτὰ οἴσομεν εὐσχημόνως, οὐδὲ παραυτίκα ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῶν κακῶν εἶναι ὑποληψόμεθα. Τίς δ' ἂν, πλὴν εἰ μή τις ἀνόητος, πονηροὺς μὲν καὶ μιαροὺς ἀνθρώπους πάντων χρημάτων εὐπορεῖν ἐναλλὰξ βλέπων, ἀγαθοὺς δὲ πενίᾳ, ἐξορισμῷ, ἀτιμίᾳ πιέζεσθαι, τοῦτ' εἰκῇ συμβαίνειν νομίσειε, καὶ τὸν Θεὸν εἰς δίκην ἐπάξειεν ἀμελείας, ἢ καὶ ἀδικίας, αἳ δὴ κακίαι εἰς αὐτὸν πίπτειν δύνανται οὐδαμῶς; ἀλλ' οὐ μᾶλλον, τίνος ἕνεκα τὰ τοιαῦτα ἐσμὲν πεπονθότες, βάθυον αἴτιον ὑπεῖναι ὑποπτεύσειεν. Εἰ δ' ἡμῖν ἀνθρωπίσκοις χαμαιπετέσι, τὰς τοῦ Θεοῦ βουλὰς μετ' ἐπιμελείας ἔξεστι διερευνᾷν, τὸν τοῦ παντὸς ἐκεῖνον σοφώτατον κυβερνήτην, ἐν ποικίλῳ συμφορῶν γένει τοὺς εὐσεβεῖς ἀσκοῦντα νοήσομεν, ὡς τὰς αὐτῶν ψυχὰς τῶν σωμα-

rum animos a corporeis voluptatibus, brutæque materiæ contagione paullatim avocet, terrenaque omnia despicere doceat: qua certissima nempe via mens hominis ad veri contemplationem erigi solet. Secundis enim rebus plerumque luxuria diffluimus, & sensuum appetitionibus indulgemus: quorum blanditiis, tamquam Circæo aliquo poculo, deliniti, humana specie ferarum gerimus immanitatem. Quid ego nunc amatores commemorem? quid somno deditos? quid epulis saginatos? quid vino lustrisque confectos? nonne hi omnes peccandi facultatem, fructum divitiarum putant? nonne omnes a disciplinarum studiis vehementer abhorrent? nonne omnes partem hominis optimam ita ad terram deprimunt, ut de sua dignitate tuenda ne cogitare quidem possit? Quum igitur calamitates accipimus, tunc præclare nobiscum agi, nosque a Deo diligi, arbitremur: ut enim adolescentulis ætatis vitio ferocioribus custodem aliquem, aut pædagogum præficimus, qui eos a petulantia deterreat, instituat ad verecundiam; (29) eodem pacto Dei sapientia, quos diligit carosque habet, illos adversæ fortunæ erudiendos sæpius committit, qua duce voluptatum illecebras fugiant, rerumque sublimium cognitionem acerrime persequantur. Nec vero existimandum est, quod vulgi delicias oblectationesque aspernetur, magnis iccirco & solidis gaudiis vitam carere sapientis: nec gurges ille Gallonius, (30) in quem Lucilius invehitur, tantam ex decumano acipensere, aut squilla jucunditatem capiebat, quanta a philosophis & mathematicis

ex

σωματικῶν ἡδονῶν, καὶ συναφείας ὕλης ἀναισθήτου κατὰ μικρὸν ἀποτρέψῃ, καὶ πάντων γηΐνων καταφρονεῖν διδάξῃ· αὕτη γὰρ ὁδὸς βεβαιοτάτη, δι' ἧς ἡ τοῦ ἀνθρώπου διάνοια πρὸς ἀληθείας θεώρησιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ξυνανίστησι. Πραγμάτων γὰρ ἐρωσάντων πολλάκις ἀσωτευόμεθα, καὶ αἰσθήσεων ἐπιθυμίαις χαριζόμεθα· ὧν τῇ κολακείᾳ, καθάπερ Κιρκαίῳ τινὶ ἐκπώματι, θελχθέντες, θηρίων ὠμότητα ὑποφέρομεν ἀνθρώπου μορφῇ. Τί ἐγὼ νῦν ἐραστὰς ὑπομιμνήσκω; τί ἐκδοθέντας ὕπνῳ; τί βρώμασι σιτισθέντας; τί μέθῃ καὶ πορνείοις τετρυχωμένους; ἢ οὐχ' οὗτοι πάντες τὴν τοῦ ἁμαρτάνειν δύναμιν πλούτου καρπὸν ἡγοῦνται; ἢ οὐ πάντες παιδείας ἐπιτηδεύματα σφόδρα μυσάττονται; ἢ οὐ πάντες τὸ ἄριστον τοῦ ἀνθρώπου μέρος οὕτω πρὸς τὴν ταπεινῶσιν, ὡς οὐδὲ φυλάττειν τὸ αὑτοῦ ἀξίωμα δύνηται ἐπινοεῖσθαι; Ὅτε γοῦν πάσχομεν ἀτυχίας, τότε ἡμᾶς κάλλιστα ἔχειν, καὶ παρὰ Θεοῦ ἀγαπᾶσθαι ἡγώμεθα· καθάπερ γὰρ ἐπὶ τοῖς νεανίσκοις διὰ τὴν ἡλικίαν θηριωδεστέροις τινὰ φύλακα ἢ παιδαγωγὸν καθιστῶμεν, ὃς αὐτοὺς ὕβρεως μὲν ἂν ἀπείργῃ, παιδεύῃ δὲ αἰσχύνῃ· οὕτως ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία τοὺς αὐτῆς ἀγαπωμένους δυστυχίαις παιδεῦσαι πλειστάκις ἐπιτρέπει, αἷς ὁδηγοῖς τὰ τῶν ἡδονῶν θέλγητρα φεύγωσιν ἄν, καὶ μετεώρων καὶ ὑψηλῶν συνέσιν διαπύρως ἐπιδιώκωσιν. Οὔτε μὴν οἰητέον, ἐπείπερ ὁ σοφὸς ἰδιωτικῆς τρυφῆς καὶ τέρψεων καταφρονεῖ, διὰ τοῦτο μεγάλων αὐτὸν καὶ ὁλοκλήρων χαρμάτων δεῖσθαι· οὔτ' ἐκεῖνος Γαλλώνιος ὁ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων Γούργης κληθείς, εἰς ὃν Λουκίλλιος ἐμβάλλεται, ἐκ πελωρίου ἔλλοπος, ἢ σκίλλης τοσαύτην ἐλάμβανε τερπνότητα, ὅσην ἐκ δεξιότητος εὐφυΐας, καὶ ἑρμηνείας φύσεως, παρὰ τῶν φιλοσόφων καὶ μαθηματικῶν συλλέγεται.

ex ingenii sollertia, naturæque explicatione percipitur. Quæ porro spectacula, quæ pompæ, qui ludi, qui festi dies, cum cæli ac siderum suavissimo aspectu conferri possunt, modo ad hæc contemplanda eruditos oculos afferamus? Qua lætitia eum affici necesse est qui se humilibus curis magis magisque in dies expediri, & cum divina mente conjungi sentiat? huic certe nec damna rei familiaris, neque inimicorum calumniæ, neque dolor corporis constantiam adimere, aut ulla ex parte nocere possunt. Citeriora hæc sunt; neque ad animi arcem undique munitam suos impetus perferunt. At, credo, mors ipsa appropinquans hujusmodi hominem terrore concutiet, deque statu tranquillitatis tumultuantem dejiciet. An mori philosophus miserum ducat, cui tota anteacta vita commentatio mortis fuerit? Quid enim est, quæso, mentem, oculos, manus, reliquos sensus habere abstinentes, quid cupiditates numquam explere, quid a propinquorum, amicorumque consuetudine sæpius abesse, mundique immensitatem peregrinari, quam tantisper animum a corpore sejungere; ne, quum extremus advenerit vitæ dies, magnis quibusdam se spoliari bonis, queratur, quod ab hac turba & colluvione discedat, sed potius gaudeat e custodia corporis liberari? Et sane stultissimus quisque, quum sibi paullo post moriendum esse cognoverit, deorum hominumque fidem implorat, fortunamque suam turpissime lamentatur: fert enim ægerrime, se ab uxoris liberorumque complexu avelli, doletque prædiorum & pecuniarum amissionem:

sionem:

Πολλῶν δ' ἐνόντων εἰπεῖν, αἱ τῶν θεαμάτων ἐπιδείξεις, αἱ πομπαὶ, οἱ ἀγῶνες καὶ ἑορταὶ, τῇ οὐρανοῦ καὶ ἄστρων ἡδίστῃ βλέψει δύνανται συμβάλλεσθαι, εἴγε πρὸς τὸ ταῦτα θεωρεῖσθαι πεπαιδευμένους προσφέρωμεν ὀφθαλμούς; Ὅσης χαρᾶς ἐκεῖνον αἰσθάνεσθαι ἀναγκαῖον, ὅστις ταπεινῶν φροντίδων μᾶλλον καὶ μᾶλλον καθ' ἡμέραν ἀπολύεσθαι, καὶ πρὸς τὸ θεῖον συνάπτεσθαι διαγινώσκει; ὡς ἀληθῶς τοῖς οὕτω διακειμένοις οὐδὲ ζημίαι οὐσίας, οὔτε ἐχθρῶν διαβολαὶ, οὐδ' ἄλγος σώματος εὐστάθειαν ἀφαιρεῖν, ἢ βλάβην τινὰ δύνανται καταφέρειν. Εἰδότερα ταῦτα, οὔτε πρὸς ἀκρόπολιν τοῦ θυμοῦ κύκλῳ πανταχῆ τετειχισμένην τὰς αὐτῶν ὁρμὰς περιοίσει. Ἀλλ', οἶμαι, θάνατος αὐτὸς ἐγγίζων ἄνδρα τοιοῦτον ἐκπλήξει τῷ φόβῳ, καὶ στάσεως ἀταραξίας θορυβοῦντα παρώσεται. Πότερον ὁ φιλόσοφος ἄθλιον ὑπολαμβάνει τὸ ἀποθνήσκειν, ᾧ βίος ὅλος ὁ παρακείμενος οὐδὲν ἄλλο, ἢ θανάτου μελέτη; Τί γὰρ ἐστι, δέομαι, νοῦν, ὀφθαλμοὺς, χεῖρας, τὰς λοιπὰς τῶν αἰσθήσεων ἐγκρατεῖς ἔχειν, τί τὰς ἐπιθυμίας οὐδέποτ' ἀναπληροῦν, τί ἀπὸ τῆς τῶν συγγενῶν, καὶ φίλων ὁμιλίας πολλάκις ἀπεῖναι, καὶ εἰς ἄμεινον τοῦ παντὸς ἀποδημῆσαι, ἢ πρὸς βραχὺ χωρίζειν ἀπὸ τοῦ σώματος τὴν ψυχήν; μὴ τῆς ἐσχάτης τοῦ βίου παραγενομένης ἡμέρας, μεγάλων τινῶν ἀγαθῶν ἑαυτὸν ἀποδύεσθαι καταμέμφηται, ὅτι ταύτης ταραχῆς ἀπαλλάττεται καὶ τοῦ χλίδους, ἀλλὰ μᾶλλον χαίρῃ τῆς τοῦ σώματος εἱρκτῆς ἐλευθεροῦσθαι. Καὶ μὴν ἀφρονέστατος ὅστις, ἐπὰν γνωρίσῃ, μικρῷ ὕστερον ὅτι ἀποθνήσκειν ἀναγκαῖον, θεοὺς κἀνθρώπους ἐπικαλεῖται, καὶ τὴν ἑαυτοῦ τύχην αἴσχιστα ὀλοφύρεται· δεινοπαθεῖ μὲν γὰρ ὅτι περιπλοκῆς τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς καὶ τῶν παίδων ἀποσπᾶσθαι· ἀνιᾶται δὲ τῇ τῶν κτημάτων

τοῦ

ſionem: quibus omnibus carere facile poſſet, ſi umquam in vita cogitaſſet, Quidquid genitum ſit, aliquando interiturum: pudentis autem hominis eſſe, (31) quæ utenda acceperit, quum repetantur, ea reddere non invitum, atque etiam cum gratiarum actione. Sapientis vero proprium eſt, numquam repugnare naturæ, (32) neque beatam vitam diuturnitate temporis æſtimare: quamobrem æquiſſimo animo divinis legibus paret, (33) ſaturoſque convivas moriturus imitatur, qui ſublato ciborum deſiderio haud gravate menſam relinquunt. Magna vis profecto eſt philoſophiæ ad omnem timorem, & præcipue mortis, abſtergendum: illius, dico, philoſophiæ quæ, morte obita, Dei cultoribus æterna præmia pollicetur; non iſtius ignobilioris, quæ humanos animos, quaſi capite damnatos, omni ſpe futurorum fraudat. Quamquam & hujus ſententiæ propugnatoribus; quorum numerum apud nonnullas nationes quotidie augeri dolemus; levia quædam & futilia ſolatia non deſunt: quæ nemo certe piorum illis invideat. Nos vero meliora docti, hac dulciſſima exſpectatione ſuſtentemur, fore ut aliquando, poſtquam muneribus quæ cuique noſtrum Deus aſſignavit, ſtrenue perfuncti erimus, corporis vinculis effractis, in illam excelſam atque illuſtrem beatiſſimorum animorum ſedem ex hac mortali vita migremus, ubi, quæ nunc magnis laboribus, longis vigiliis, aſſiduo ſtudio vix invenire atque explicare poſſumus, (34) ea tandem aperta & patefacta celerrime ac firmiſſime comprehendamus.

Tunc

τε καὶ χρημάτων ἀποβολῇ· ὧν πάντων ἐδύνατο δεῖσθαι ῥᾳδίως, εἴ ποτε νενοήκῃ ζῶν, ἅπαντα τὰ γεγεννημένα φθείρεσθαι δεῖν τὸ τελευταῖον, αἰδήμονος δὲ ἀνθρώπου εἶναι, τὰ πρὸς χρείαν εἰλημμένα, ἐπειδὰν τάχυς ἀπαιτῶνται, οὐ βεβιασμένον ἀποδιδόναι, μᾶλλον δὲ μετ᾽ εὐχαριστίας. Ἔστι δὲ σοφοῦ, τῇ φύσει οὐδέποτε ἀντιμάχεσθαι, οὐδὲ ζωὴν εὐδαίμονα τῷ πολλῷ χρόνῳ καταμετρεῖν. διὰ τοῦτο μάλιστ᾽ ἀνεξικάκως τοῖς τοῦ Θεοῦ νόμοις ὑπακούει, καὶ μέλλων ἀποθνήσκειν τοὺς κορεσθέντας τῶν συντραπέζων μιμεῖται, οἳ τῆς ἐδεσμάτων ἐπιθυμίας ἀναιρεθείσης, οὐ δυσχερῶς ἐκ τῆς τραπέζης ἀναχωροῦσι. Μεγάλη δύναμις, ὡς ἀληθῶς, ἐστὶ φιλοσοφίας πρὸς τὸ πάντα φόβον, καὶ θανάτου ἐξαιρέτως, ἀποκαθαίρειν· ἐκείνης, λέγω, φιλοσοφίας ἣ, μετὰ θάνατον, τοῖς τοῦ Θεοῦ λατρεύουσιν ἆθλον αἰώνιον ἐπαγγέλλεται· οὐ ταύτης ἀγεννεστέρας, ἣ τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς, οἷον ζημιωθείσας θανάτῳ, ἁπάσης τῶν ἐσομένων ἐλπίδος ἀποστερεῖ. Καίπερ καὶ τοῖς τοῦ τοιούτου δόγματος ὑπερασπισταῖς, ὧν ἀριθμὸν παρ᾽ ἐνίοις τῶν ἐθνῶν καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν αὐξάνεσθαι λυπούμεθα, κοῦφαί τινες καὶ ἀνόνητοι παραμυθίαι οὐκ ἐλλείπουσιν, ἐφ᾽ αἷς δηλονότι οὐδεὶς τῶν εὐσεβῶν αὐτοῖς ἂν φθονήσειεν. Ἡμεῖς δὲ παιδείας κρείττονος τετυχηκότες, ταύτῃ τῇ γλυκυτάτῃ προσδοκίᾳ τρεφώμεθα, μέλλειν ἡμᾶς, ἐπειδὴ τὰ παρὰ Θεοῦ προστιθέντα παντὶ ἑκάστῳ ἡμῶν καθήκοντα διεπράξαμεν ἀνδρείως, τῶν τοῦ σώματος δεσμῶν διαρραγέντων, εἰς ἐκείνην τὴν ὑψηλὴν καὶ λαμπρὰν τῶν μακαριωτάτων ψυχῶν ἕδραν ἐκ τῆς θνητῆς ταύτης ζωῆς μετοικίζεσθαι, ὅπου ἃ νῦν πόνοις μεγάλοις, μακραῖς ἀγρυπνίαις, ἀδιαλείπτῳ ἐπιτηδεύματι μόλις εὑρίσκειν καὶ διασαφηνίζειν δυνάμεθα, τὸ τελευταῖον ἐμ-

φανῆ

Tunc nullis locorum ſpatiis circumſcripti, nullis annorum finibus incluſi, nullis tempeſtatum vicibus obnoxii, tranquillam, ſecuram, gaudiorum plenam, corruptionis denique expertem vitam agemus; malorumque hominum conatus ridebimus, qui araneolarum ſimillimi, in rebus puſillis, inanibus, brevique tempore interituris diſtenti atque occupati ſunt, & quum bonos acerbius affligunt, iis faciliorem in cælum viam quodammodo ſternunt. His autem divinis atque immortalibus bonis ita potiemur, ſi philoſophiam legem vitæ, non oſtentationem ſcientiæ exiſtimantes, ejus præcepta moribus noſtris exprimere ſtudebimus: quod ab his Doctiſſimis Viris, qui ad me audiendum frequentes convenere, accurate fieri videmus. Non enim ſatis habent, hoc Minervæ Muſarumque domicilium omni liberalis doctrinæ genere, pro ſua quiſque parte, mirum in modum ornare, totaque Europa longe celeberrimum efficere; ſed etiam juventutem, quam diſciplinis erudiendam ſuſcipiunt, exemplo ſuo ad temperantiam, ad modeſtiam, ad omnem virtutem cohortantur: ne quorum oratio graviſſimis tum verbis, tum ſententiis inſtructa, & perpolita ſit, eorum vivendi ratio turpiter ab oratione diſcordet. Quid multa? paucos omnino adoleſcentes reperias qui quum ſtudiorum curriculum in hoc Gymnaſio Patavino recte ac diligenter confecerint, non in ſinum parentum aucti prudentia atque humanitate redeant: ut quibus magiſtris uſi fuerint, ex eorum convictu & conſuetudine facile appareat. Hinc, tamquam ex

equo

φανῆ καὶ γνωσθέντα, τάχιστα καὶ βεβαιότατα καταληψόμεθα. Τότε οὐδὲ τόπων διαστήμασι περιγεγραμμένοι, οὐδ᾽ ἐνιαυτῶν πέρασιν ἐγκλεισμένοι, οὐδ᾽ ὡρῶν ἀμοιβαῖς ἔνοχοι, ἥσυχον, ἀκίνδυνον, χαρμάτων ἀνάπλεον, ἄφθαρτον τὰ τελευταῖα βίον διατελέσομεν, κἀπὶ πονηρῶν ἀνθρώπων ἐγχειρήμασι γελάσομεν, οἱ τοῖς μικροῖς ἀράχναις ὁμοιότατοι, πράγμασιν ἐλαχίστοις, ματαίοις, καὶ ὠκυμόροις, κατέχονται καὶ διατείνονται, ὅτε δὲ τοὺς ἀγαθοὺς πικρότερον ταλαιπωροῦσι, τότε ῥᾴονα ὁδὸν ἀμηγέπως εἰς οὐρανὸν αὐτοῖς ὀχυροῦσι. Τούτων δὲ τῶν θείων καὶ ἀθανάτων ἀγαθῶν οὕτως ἀπολαύσομεν, εἰ φιλοσοφίαν οὐκ ἐπίδειξιν ἐπιστήμης, ἀλλὰ νόμον βίου νομίζοντες, αὐτῆς τὰ παραγγέλματα ἡμετέροις ἀπεικάζειν ἤθεσι πειρασόμεθα. ὃ παρὰ τῶν σοφωτάτων τούτων ἀνδρῶν, τῶν ἅμα συνελθόντων ἀκοῦσαί μου, μάλ᾽ ἀκριβῶς ποιούμενον ὁρῶμεν. Οὐ γὰρ αὐτοῖς ἀπόχρη τοῦτ᾽ Ἀθηνᾶς καὶ Μουσῶν οἰκητήριον παντὶ ἐλευθερίου μαθήσεως γένει, καθ᾽ ὅσον ἕκαστος οἷός ἐστι, θαυμαστῶς διακοσμεῖν, καὶ καθ᾽ ὅλην τὴν Εὐρώπην πόῤῥωθεν περιβόητον ἐπιτελεῖν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τούτοις, τὴν νεότητα, ἣν παιδείας διδάσκειν ἐπιχειροῦσιν, ἑαυτῶν παραδείγμασιν εἰς σωφροσύνην, εἰς κοσμιότητα, εἰς πᾶσαν ἀρετὴν παρακαλοῦσι· μὴ ὧν ὁ λόγος καὶ ῥήμασι σεμνοτάτοις καὶ διανοίαις κεκοσμημένος καὶ κατεσκευασμένος τυγχάνῃ ὤν, τούτων ὁ βίος αἰσχρῶς τῶν λόγων ἀπᾴδῃ. Τί πλείω; ὀλίγους τὸ παράπαν νεανίας ἂν εὕροις, οἱ ἐπειδὴ τῶν ἐπιτηδευμάτων δρόμον ὀρθῶς καὶ ἀκριβέστερον ἐν τούτῳ τοῦ Παταβίου γυμνασίῳ ἀπετέλεσαν, οὐκ ἂν εἰς κόλπον τῶν γονέων αὐξηθέντες φρονήσει καὶ ἐπιεικείᾳ τὸ τέλος ἀναστρέψειαν· ὥστε φανῆναι ῥᾳδίως ἐκ τῆς αὐτῶν συμβιώσεως καὶ συνηθείας, ὁποίοις τισὶ διδασκάλοις ἐχρή-

ἐχρή-

equo Trojano, acerrimi Theologi quotidie prodeunt, qui religionem & ſcriptis & factis contra impiorum inſidias apertamque vim fortiſſime & conſtantiſſime defendant: hinc ſummi Juriſconſulti, qui & rempublicam adminiſtrare, & leges ſervare incolumes, & ſceleratis reſiſtere, & ab innocentium capite periculum propulſare, egregia cum eloquentiæ laude, poſſint: hinc optimi Medici, qui notitia humani corporis, diuturnaque earum rerum obſervatione quæ valetudini aut prodeſſe, aut obeſſe ſolent, civium ſaluti proſpiciunt: hinc poſtremo Philoſophi acutiſſimi, qui Geometriæ ac Matheſis univerſæ præſidio confirmati, naturæ ſcientiam incredibili ſollertia, maximis ingeniis amplificare ac longius proferre contendunt. Quæ omnia quum vobis & induſtriæ veſtræ debeantur, Viri Sapientiſſimi, mihi etiam atque etiam cavendum eſt, ne languori me umquam deſidiæque tradam; illudque ſæpius conſiderandum, in quem Ordinem ſim cooptatus, ad quos Collegas adjunctus; aliena ſiquidem vigilantia, magna ceſſationis noſtræ exprobratio futura eſt. Tibi autem, Proſyndice Nobiliſſime, qui optimarum artium ſtudioſam juventutem conſilio curaque gubernas, eique ad laudem colligendam ſtrenuum ſane ducem te præbes; vobiſque pariter, magna indole Adoleſcentes, quos una diſcendi cupiditas a domeſticis laribus in hanc florentiſſimam urbem attraxit, ſi quid ingenio, ſi quid exercitatione dicendi, ſi quid hac mediocritate doctrinæ veſtra ſtudia juvare poſſum, id omne polliceor, & defero.

ἐλύσαντο. Ἐντεῦθεν, καθάπερ ἐξ ἵππου Τρωϊκοῦ, οἱ ἀνδρειότατοι τῶν θεολόγων ὁσημέραι προσέρχονται, τὴν εὐσέβειαν καὶ συγγράμμασι καὶ ἔργοις κατ' ἐπιβουλῶν καὶ βίας ἐμφανοῦς τῶν ἀσεβῶν ἰσχυρότατον καὶ βεβαιότατον διασώσοντες· ἐντεῦθεν ἄνδρες νομικώτατοι, εἰ καὶ τὰ τῆς πόλεως διοικῆσαι, καὶ τοὺς νόμους ἀβλαβεῖς διαφυλάξαι, καὶ πρὸς τοὺς πονηροὺς ἀνθίσασθαι, καὶ τῶν τῶν ἀναιτίων κεφαλῆς τοὺς κινδύνους ἀπωθεῖσθαι δυνησόμενοι. ἐντεῦθεν ἄειστοι τῶν ἰατρῶν, οἱ γνώσει τοῦ ἀνθρωπείου σώματος, καὶ πολυχρονίῳ παρατηρήσει τῶν τῆς ὑγίειαν ἢ ὠφελούντων, ἢ βλαπτόντων, τῆς τῶν πολιτῶν σωτηρίας ἐπιμελησόμενοι. ἐντεῦθεν τὸ τελευταῖον οἱ ὀξύτατοι τῶν φιλοσόφων, οἳ γεωμετρείας καὶ μαθήσεως ἁπάσης φρουρᾷ βεβαιωθέντες, τὴν τῆς φύσεως ἐπιστήμην ἀπίσῳ δεξιότητι καὶ μεγίσταις εὐφυΐαις πληθύνεσθαι καὶ πορρωτέρω ἀναβάλλειν πειράζουσιν. Ὧν πάντων ἡμῖν ὀφειλομένων τῇ τε ὑμετέρᾳ σπουδῇ, ὦ σοφώτατοι ἄνδρες, ἐμοὶ καὶ πάλιν καὶ πολλάκις εὐλαβητέον, μὴ ἀπονίᾳ ποτὲ καὶ ῥαθυμίᾳ ἐμαυτὸν διδῶ. κἀκεῖνο συνεχῶς κατανοητέον, τίνα τάξιν ἔλαχον, τίσι συνεργοῖς παρατέθειμαι· τῶν ἄλλων γὰρ ἡ ἐγρήγορσις μεγάλη παύσεως τῆς ἡμετέρας ὀνείδησις μέλλει ἔσεσθαι. Σοὶ δὲ, ὦ ἀντισυνδίκε εὐγενέστατε, ὃς τέχναις τῶν ἀρίστοις τὴν προσέχουσαν νεότητα βουλῇ καὶ φροντίδι κυβερνᾷς, κἀυτῇ ἐς τὸ τῶν ἔπαινον συλλέγειν δραστήριον μὲν ἡγεμόνα σαυτὸν παρέχεις· καὶ ὑμῖν ἐπίσης, ὦ εὐφυέστατοι τῶν νέων, οὓς μόνη ἡ φιλομάθεια οἴκοθεν εἰς ταύτην τὴν εὐανθεστάτην πόλιν ἐφεῖλκεν· εἴ τι ἀγχινοίᾳ, εἴ τι ἀσκήσει τοῦ λέγειν, εἴ τι ταύτῃ μετριότητι διδασκαλίας τὰ ὑμῶν ἐπιτηδεύματα ὠφελεῖν δύναμαι, ἐκεῖνα πάντα ὑπισχνοῦμαι, καὶ εἰς ὑμᾶς καταφέρω. Πολλοὺς μὲν

πρὸς

ſero. Multos quidem ad hoc docendi munus magis idoneos, & a litteris paratiores quam ego ſim, nullo negotio invenire poteritis: cui vero ſtudia veſtra magis cordi futura ſint, aut qui propenſiorem erga ſingulos voluntatem habeat, fortaſſe neminem. At quibus tandem verbis Te appellem, Joannes Antoni Ruzine, Venetæ Reipublicæ Senator Ampliſſime, hujuſque civitatis Moderator Sapientiſſime? aut quæ gratiarum actio tuorum erga me meritorum magnitudinem æquare poterit, quod me dicentem præſentia tua confirmare, ac pro me quodammodo ſpondere volueris? Tu ex illa Familia ortus es quam vetuſtate antiquiſſimam, viris bellica civilique laude præſtantibus ornatiſſimam, opibus, affinitatibus, honoribus cumulatiſſimam, hiſtoriæ loquuntur, monumenta declarant, cives atque exteri uno ore teſtantur. Vivit hoc noſtro tempore, & porro vivat, (35) patruus tuus Carolus, Eques, Ædis D. Marci Procurator, ac Triumvir Litterarius, excellenti virtute, auctoritate ſingulari, ad ſumma quæque gerenda natus; qui octo legationibus apud maximos Europæ Reges pro patria obeundis, fœderibus ſanciendis, fortiſſime dicenda ſententia veram ſolidamque gloriam adeptus eſt: huic ipſe tantum debeo, quantum perſolvere numquam fuerit mearum facultatum. Ad hæc Nobiliſſimæ Familiæ decora Tu demum acceſſiſti, conſtantia, fide, gravitate, continentia plane admirabili: quarum virtutum ſpecimen apud nos ita dediſti, ut quum ex hac urbe diſceſſeris, (36) abſentiæ tuæ deſiderium

πρὸς τουτὶ τοὔργον τοῦ διδάσκειν μᾶλλον ἐπιτηδείους καὶ γράμμασι κατασκευασμένους, ἢ ἐγὼ τυγχάνω, ῥᾳδίως εὕροιτ' ἄν· τὴν δὲ τῶν ὑμετέρων ἐπιτηδευμάτων ἐπιμέλειαν μείζω ποιησόμενον, ἢ ἐπιπρεπέστερον θέλημα πρὸς ἑκάστους ἕξοντα, ἴσως οὐδένα. Τίσι δὲ τὸ τελευταῖον λόγοις προσαγορεύω σε, ὦ Ἰωάννη Ἀντώνιε Ῥουζῖνε, τῆς τῶν Ἐνετῶν πολιτείας μέγιστε βουλευτὰ, καὶ ταύτης τῆς πόλεως διοικητὰ σοφώτατε; ἢ τίς ἂν εὐχαριστία τῷ σῷ πρὸς ἐμὲ τῷ μεγέθει εὐεργετημάτων ἀντιμετρεῖσθαι δύνηται; ὅτι ἐμὲ λέγοντα τῇ παρουσίᾳ σου βεβαιοῦσθαι, καὶ ἐμέ τινα τρόπον ἐγγυᾶσθαι ἠβουλήθης; Σὺ δηλονότι ἐγένου ἐξ ἐκείνης οἰκίας, τὴν ἀρχαιότητι παλαιοτάτην, πολεμικῇ καὶ πολιτικῇ ἀρετῇ ὑπερενηνοχόσιν ἀνδράσι κεκοσμημένην, χρήμασι, τιμαῖς, κήδεσιν εὐπορωτάτην, αἱ ἱστορίαι λέγουσι, τὰ μνημεῖα δηλοῦσιν, οἱ πολῖται μετ' ἀλλοτρίων ὁμοφώνως μαρτύρονται. Ἐν τούτῳ τῷ ἡμετέρῳ χρόνῳ βιοῖ, καὶ εἰσαῦθις εἴθε ἐπὶ πολὺ ἔλθοι τοῦ βίου, ὁ σὸς πρὸς πατρὸς θεῖος ὁ Κάρολος, ἱππεὺς, τοῦ νεὼ τοῦ ἁγίου Μάρκου ἐπίτροπος, καὶ εἷς τῶν τριῶν τοῦ γυμνασίου ἐπιστατῶν, προέχων ἀρετῇ, διαφέρων ἀξιώματι, πρὸς ὕψιστα πάντα πράττειν πεφυκώς. ὃς τῷ πρεσβεύειν ὀγδοάκις ὑπὸ πατρίδος πρὸς μεγίστους ἐν Εὐρώπῃ βασιλεῖς, τῷ σπουδὰς κυροῦν, τῷ ἀνδρεικωτάτως γνώμην λέγειν, τῆς ἀληθοῦς δόξης ἔτυχε καὶ ὁλοκλήρου· τούτῳ ἐγὼ τοσοῦτον ὀφείλω, ὅσον ἀποδιδόναι ἐπ' ἐμοὶ οὐδέποτε μέλλει ἔσεσθαι. Πρὸς δὲ ταύταις τοῦ γνωριμωτάτου γένους ἀξίας τὸ τελευταῖον αὐτὸς προσῆλθες, εὐσταθείᾳ, πίστει, σεμνότητι, ἐγκρατείᾳ θαυμαστῇ παντελῶς. Τούτων δὲ τῶν ἀρετῶν οὕτω δεῖγμα ἐξήνεγκας παρ' ἡμῖν, ὥς ποτέ σου ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ἀπελθόντος, τὸν τῆς σῆς ἀπουσίας πόθον οἱ τοῦ Παταβίου πολῖται μελλήσωσι δυσχεραί-

derium Patavini cives ægre admodum laturi ſint. Sed ut aliquando exitum habeat oratio, & ne pudori tuo gravior ſim, plurima quæ de Te dici ac prædicari poſſent, ſilentio prætereo, idque unum recipio, me hujus lætiſſimi diei memoriam ſemper animo ſervaturum, utque tuo tam inſigni beneficio aliqua ex parte reſpondeam, diligentiſſime omnia facturum.

Habita eſt III. Nonas Febr. MDCCXXVII.

C O R A M

JOANNE ANTONIO II. RUZZINO

Patr. Ven. Urbis Prætore, ac Propræfecto,

ET HENRICO LUDOVICO MEYER

Nobili Probſthagenſi, Artium Proſyndico.



νειν. Ἀλλ' ὥς τινα ἔξοδον ὁ λόγος ἔχῃ, καί μοι μὴ ἄχθῃ διὰ τὴν αἰδῶ τὴν σὴν, πλεῖστα περὶ σοῦ λέγεσθαι καὶ ἀναγορεύεσθαι ῥαδίως δυνάμενα παραλείπω, καὶ μηδὲν ἄλλο ἐπαγγέλλομαι, πλὴν τοῦ ἐμὲ ταύτης ἱλαρωτάτης ἡμέρας τὴν μνήμην ἀεὶ τῷ θυμῷ διαφυλάξειν, καὶ ὡς τῷ σῷ ἐπισημοτάτῳ εὐεργετήματι μέρος τι ἀμείψομαι, ἀκριβέστατα πάντα ποιήσειν.

ΤΕΛΟΣ.



ANNOTATIONES
IN SUPERIOREM
ORATIONEM.

(1) *ſi Deo pareret*] Audi Senecam, ut plures alios omittamus, e Stoicorum præceptis ita ſcribentem Epiſtola 16. *Sive nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſive arbiter Deus univerſi cuncta diſponit, ſive caſus res humanas ſine ordine impellit & jactat, philoſophia nos tueri debet. Hæc adhortabitur, ut Deo libenter pareamus, ut fortunæ contumaciter reſiſtamus: hæc docebit, ut Deum ſequaris, feras caſum.*

(2) *Sed hæc Divinæ Providentiæ. . . . . curæ erunt*] Plato in Phædone tomo 1. pag. 95. ἀλλὰ δὴ ταῦτα μὲν τῷ θεῷ μελήσει. & in Phædro tomo 3. pag. 238. ταῦτα μὲν οὖν θεῷ μελήσει.

(3) *tamquam in ſpeculum, nobis inſpiciendum eſſe*] Terentius Adelphis Actu 3. ſcena 4. verſu 51.
Inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo; atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.

(4) *in animis noſtris virtutum quædam ſemina incluſit*] *Quod ſi tales nos natura genuiſſet*, ait Cicero initio libri 3. Tuſculan. Quæſtionum, *ut eam ipſam intueri, & perſpicere, eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus: haud erat ſane quod quiſquam rationem ac doctrinam requireret. nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata*

nata virtutum: quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem, simul atque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Idem libro 1. de Legibus: *Sequitur igitur, ad participandum alium alio, communicandumque inter omnes, justos natura esse factos (atque hoc in omni disputatione sic intelligi volo, quod dico naturam esse): tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria.*

(5) *discutiendæ sunt nobis luce veritatis, ignorationis caligines*] Lucretius lib. 1. de Rerum Natura v. 147.

Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est
Non radii solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.

(6) *quid videlicet homo sibi ipse debeat*] Huc pertinent illa Senecæ ex Epistola 21. *Quum quæritur*, inquit, *quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus ceteris, longe me judicas mores reliquisse? falsum est. Quomodo enim scies, qui habendi sint, nisi quid homini sit optimum, inveneris? nisi naturam ejus inspexeris? Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, quum didiceris quid naturæ tuæ debeas.*

(7) *nullum omnino esse, dixere*] Multarum sane rerum ὕπαρξις certissima & necessaria est, quarum

tamen οὐσίαν & φύσιν, propter nimiam obſcuritatem, aut omnino, aut maxima ex parte ignoramus. Ita Deum, materiam primam, humanum animum, eſſe quidem manifeſtum eſt: quid porro hæc ſingula ſint, definire non licet. Sunt enim res vi & effectu ſatis illuſtres, natura penitus abditæ, & a ſenſuum mentiſque judicio remotæ. Seneca Epiſt. 21. *Nos quoque animum habere nos ſcimus: quid ſit animus, ubi ſit, qualis ſit, & unde, neſcimus.* & paullo poſt: *Nemo non ex nobis intelligit, eſſe aliquid quod impetus ſuos moveat: quid ſit illud, ignorat. & conatum ſibi eſſe ſcit: quid ſit, aut unde ſit, neſcit.*

(8) *animum tantummodo hominem eſſe, non corpus*] Vide Nemeſium περὶ φύσεως ἀνθρώπου. cap. 1. non procul ab initio.

(9) *quodam loco*] In Alcibiade primo.

(10) *animum tantummodo humanum*, &c.] Vide Epictetum Enchiridii capite 1. num. 1. 2. 3.

(11) *Vilis igitur abjectique mancipii talem curam ſuſcipere debemus*] Pulcherrima & memorabilia ſunt in hanc rem verba Senecæ ex Epiſtola 8. *Hanc ergo ſanam & ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Durius tractandum eſt, ne animo male pareat: cibus famem ſedet, potio ſitim exſtinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Hanc utrum cæſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt: ſcito, hominem tam bene culmo quam auro tegi. Contemne omnia quæ ſupervacuus labor tamquam ornamentum & decus ponit. Cogita, in te præter animum nihil eſſe mirabile: cui magno nihil magnum eſt.*

(12) *ſi*

(12) *ſi contra, nimis liberaliter*] D. Auguſtinus lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 24. *Quod autem continentia quadam & laboribus quaſi perſequi videntur corpora ſua; qui hoc recte faciunt, non id agunt ut non habeant corpus, ſed ut habeant ſubjugatum & paratum ad opera neceſſaria.*

(13) *& multiplici rerum ſcientia præſtare oportet*) Teſtatur Cornelius Celſus in Præfatione, eos qui rationalem medicinam profiterentur, hæc neceſſaria eſſe propoſuiſſe: *Abditarum & morbos continentium cauſſarum notitiam, deinde Evidentium, poſt hæc etiam Naturalium actionum, noviſſime Partium interiorum.* -- -- -- *Contra* ii *qui ſe* ἐμπειρικοὺς *ab experientia* nominabant, *evidentes quidem cauſſas, ut neceſſarias,* complectebantur: *obſcurarum vero cauſſarum & naturalium actionum quæſtionem ideo ſupervacuam eſſe,* contendebant, *quoniam incomprehenſibilis natura* eſſet. Priores illos medicos laudat Ariſtoteles capite ultimo libri primi Ethicorum ad Nicomachum, & χαρίεντας appellat, *elegantes* nimirum & *diſciplinis excultos.* Locum ipſum afferre non pigebit: Δῆλον ὅτι δεῖ τὸν πολιτικὸν εἰδέναι πως τὰ περὶ ψυχήν. ὥσπερ καὶ τὸν ὀφθαλμοὺς θεραπεύσοντα, καὶ πᾶν σῶμα. -- -- -- -- -- -- καὶ τῶν ἰατρῶν δ' οἱ χαρίεντες πολλὰ πραγματεύονται περὶ τὴν τοῦ σώματος γνῶσιν. i. e. *Liquet, eum qui ad civitatis gubernationem aptus futurus eſt, oportere ea quæ ad animum pertinent, ſcientia quodammodo comprehendiſſe: ut qui oculos ac totum corpus eſt curaturus, oculorum ac totius corporis naturam perſpectam habere debet.* -- -- -- -- *At vero medici, qui ſunt politiores, multum ſtudii atque operæ in cognitione corporis ponere conſueverunt.* Cum rationalibus medicis & Ariſtotele facit Marcellus Palingenius, non inficetus poeta,

qui libro 10. Zodiaci Vitæ Humanæ v. 355. de medicina locutus, ita canit:

Adde huc quod plena eſt occultæ cognitionis.
Hæc florum, herbarum, lapidum ſecreta recludit:
Et, quicquid tellus intra ſua viſcera celat,
Perſpicit, ac vires naturæ provida pandit,
Corporis humani partes conſiderat omnes,
Et revocat multos regnum ad Plutonis ituros.

(14) *temporum opportunitates*] Ovidius in Remediis Amoris verſu 131.

Temporis ars medicina fere eſt. data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Idem Artis Amatoriæ libro 1. verſu 157.

-- -- -- -- medici quoque tempora ſervant.

(15) *tenuem victum anteferre copioſo*] Inſignis eſt Horatii locus in hanc ſententiam Satyra 2. libri 2. verſu 70.

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque ſecum
Adferat. in primis valeas bene: nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque adfligit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.

Horatio addendus M. Tullius, qui libro 5. Tuſculanarum Quæſtionum ita ſcribit: *Adde ſiccitatem, quæ conſequitur hanc temperantiam in victu: adde integritatem valetudinis. Confer ſudantes, ructantes,*

refer-

refertos epulis, tamquam opimos boves: tum intelliges, qui voluptatem maxime ſequantur, eos minime conſequi, jucunditatemque victus eſſe in deſiderio, non in ſatietate. Vide & Catullum Carmine 23. in Furium, ubi paupertatis commoda enumerat. Conſiderandum tamen id quod præcipit Cornelius Celſus capite 1. libri 1. Medicinæ. *Prodeſt*, inquit, *nullum cibi genus fugere quo populus utatur: interdum in convictu eſſe, interdum ab eo ſe retrahere: modo plus juſto, modo non amplius aſſumere: bis die potius, quam ſemel cibum capere: & ſemper quamplurimum, dummodo hunc concoquat.* Id autem ab Hippocrate Celſus derivavit, quem plerumque ſequitur κατὰ πόδα, & tantum non vertit. Doctiſſimi enim ſenis verba ſunt Aphoriſmo 5. ſectionis 1. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. i. e. *Propterea, etiam bene valentibus periculoſus eſt valde tenuis, & ſtatus ac exquiſitus victus: quoniam errores gravius ferunt.*

(16) *principem illam hominis partem*] Cicero libro 2. de Natura Deorum: *Omnem enim naturam neceſſe eſt, quæ non ſolitaria ſit, neque ſimplex, ſed cum alio conjuncta atque connexa, habere aliquem in ſe principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam ſimile mentis; unde oriantur rerum appetitus.* Vide D. Auguſtinum lib. 4. De Anima & ejus origine cap. 5. Idem Sermone 161. num. 6. *In te quippe illud principatur quod melius eſt. Tenens Deus quod melius eſt, id eſt, cor tuum, mentem tuam, animam tuam, profecto per meliorem poſſidet & inferiorem, quod eſt corpus tuum.*

(17) *in beatorum inſulis*] Harum inſularum meminit Cicero in Hortenſio apud D. Auguſtinum libro

bro 14. de Trinitate capite 9. his verbis: *Si nobis, quum ex hac vita migraverimus, in beatorum insulis, immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia? quum judicia nulla fierent -- -- -- -- Una igitur essemus beati cognitione naturæ, & scientia, quæ sola etiam deorum est vita laudanda, ex quo intelligi potest, cetera necessitatis esse: unum hoc, voluptatis.* A Platonis lib. 7. de Republica id sumsit Cicero. Lege divinum illum philosophum operum tomo 2. pag. 519.

(18) *quis enim porticibus forum circumdare &c.*) Hæc respondet Epictetus Enchiridii cap. 23. homini philosophiæ studium suscipere dubitanti. Audi verba servi germanam libertatem adepti: Ἀλλ' ἡ πατρίς, φησιν, ὅσον ἐπ' ἐμοὶ, ἀβοήθητος ἔσται. πάλιν ποίαν ταύτην βοήθειαν; στοὰς οὐκ ἕξει διὰ σὲ, οὔτε βαλανεῖα; καὶ τί τοῦτο; οὐδὲ γὰρ ὑποδήματα ἔχει διὰ τὸν χαλκέα. οὐδὲ ὅπλα διὰ τὸν σκυτέα. ἱκανὸν δὲ, ἂν ἕκαστος ἐκπληρώσῃ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. εἰ δὲ ἄλλον τινὰ αὐτῇ κατεσκεύαζες πολίτην πιστὸν καὶ αἰδήμονα, οὐδὲν ἂν αὐτὴν ὀφέλεις; ναί. i. e. *Sed patria*, inquit, *quantum in mea potestate situm est, auxilio carebit. Rursus, quod tu istud vocas auxilium? Porticus per te non habebit, nec balnea? Et quid hoc ad te? Neque enim calceos habet per fabrum ferrarium; neque arma per sutorem. Sufficit, si suum quisque munus expleat. At si alium quemdam ipsi civem præparares, fidum & verecundum, nihilne illam juvares? Ita vero.* Atque etiam L. Seneca Epistola 8. posteaquam gravissima Stoicorum præcepta de moribus effudisset, ita philosophiam commendat, ejusque studium civitatibus prodesse, ostendit: *Si hoc mecum, si hoc cum posteris loquor, non videor tibi plus prodesse, quam quum ad vadimonium advocatus descenderem, aut tabulis testamenti annulum imprimerem, aut in senatu candidato vo-*

cem

cem & manum commodarem? Mihi crede: qui nihil agere videntur, majora agunt; humana divinaque simul tractant. Dixerat autem non longe ab initio Epistolæ: *Posterorum negotium ago: illis aliqua quæ possint prodesse, conscribo: salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando.*

(19) *Tunc a matrum sororumque concubitu abstineri cœptum*] Quum hæc scriberem, vetustissimum illud ac sapientissimum Pythagoræorum institutum mihi ante oculos versabatur, qui scilicet naturæ investigationem a morum disciplina numquam separabant: immo caussarum physicarum ductu atque auxilio, quomodo & res familiaris administranda, & respublica gerenda esset, optime explicabant: his potissimum adminiculis, viri, uxoris, parentum, liberorum, dominorum, servorum officia accurate describentes. Ejus consuetudinis expressum solidumque vestigium videre est apud Ocellum Lucanum Pythagoræum capite 4. aurei libelli περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως, *de Universi natura.* Id porro quum ignorarent inepti quidam homines, & ab omni eruditione prorsus imparati, quod genus audacia pro sapientia uti solet, Orationem hanc meam, tamquam ad Physicæ studia minus pertinentem, impudenter ac stolide calumniati sunt: quos tamen tacita quadam miseratione prosequi, quam ulla verborum acerbitate ulcisci satius mihi esse videtur.

(20) *societatis caritas plures familias complecteretur*] Vide D. Augustinum libro 15. de Civ. Dei cap. 16.

(21) *Illud quoque a sapientibus monitum video*] Vide Platonem Dialogo 6. de Legibus tomo 2. pag. 778.

(22) *E-*

(22) *Epicurus ipſe*] Quid de amicitia vere ſenſerit Epicurus, vide apud Senecam Epiſtola 9.

(23) *animus ex mente divina acceptus*] Non tamquam pars aliqua divinæ naturæ; quod impium dictu eſſet: ſed tamquam ex proxima & efficiente cauſſa.

(24) *neque nobilium atque ſervorum alia natura eſt*] Id monet L. Seneca, mihi ſæpe vocandus ad partes, Epiſtola 47. *Vis tu cogitare*, inquit, *iſtum quem ſervum tuum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cælo, æque ſpirare, æque vivere, æque mori?* Quapropter crudelem in famulos herum ita inſectatur Juvenalis Satyra 14. verſ. 15.

Mitem animum, & mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animas ſervorum & corpora, noſtra
Materia conſtare putat, paribuſque elementis:
An ſævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?

in quibus verſibus ὡς ἐν παρόδῳ animadvertas velim, *mores modicis erroribus æquos*, eſſe mores hominis facilis, placabilis, miſericordis, qui ſcilicet levioribus quibuſdam delictis non præter modum iraſcitur, & naturæ communis fragilitatem æſtimare novit. Cum Seneca & Juvenale facit Quinctilianus lib. 3. Inſtit. Orator. cap. 8. *Et utilia honeſtis preferimus: ut quum ſuademus, ut bello Punico ſervi armentur. Sed tamen neque hic plane concedendum eſt, eſſe id inhoneſtum: liberos enim natura omnes, & eiſdem conſtare elementis, & fortaſſe antiquis etiam nobilibus ortos, dici poteſt.*

(25) *Quid eſt enim turpius*, &c.] Seneca Epi-

ſtola

ſtola 6. *Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enuntiem, rejiciam. Nullius boni, ſine ſocio, jucunda poſſeſſio eſt.*

(26) *Timonis*] Vide Lucianum in Timone.

(27) *& Cyclopum*] Talis erat Polyphemus ille Virgilianus, Æneidos libro 3. verſu 621.

Nec viſu facilis, nec dictu adfabilis ulli.

(28) *credo, non quod Phyſicam improbaret*] Certe Socratis accuſatores videntur ſibi perſuaſiſſe, Socratem rerum ſublimium & abditarum contemplationi operam dare ſolitum, quod ex eorum ἀντωμοσίᾳ, ſeu libello judicibus propoſito manifeſtum eſt: Σωκράτης ἀδικεῖ, καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ὑπεράνια. Vide Apologiam apud Platonem. Negat quidem Socrates; verùm nemo neſcit, eum εἴρωνα fuiſſe. Sed vide D. Auguſtinum lib. 8. de Civ. Dei cap. 3. ubi plura & egregia de Socrate. Attendendum tamen eſt, quid narret de Socrate Xenophon, Memorabilium ejus philoſophi libro 1. capite 1. οὐδὲ γὰρ, inquit, περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως, ἧπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγετο, σκοπῶν ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔφυ, καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γένεται τῶν οὐρανίων· ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ὑπεδείκνυε. i. e. *Nec enim de rerum omnium natura ſic diſputabat, uti complures alii, nimirum conſiderans, quo pacto is qui a ſapientiam profeſſis mundus appellatur, ortus ſit: quibuſque de cauſſis neceſſariis ſingulæ res cæleſtes fiant. Immo eos qui his rebus occuparentur, fatuos eſſe, demonſtrabat.* Sed hæc καθ' ὑπερβολὴν dicta mihi videntur. Cæterum, Socratem imitati ſunt Cyrenaici, doctore Ariſtippo, qui, ſi Senecæ credimus id ſcribenti Epiſtola 89. *naturalia cum rationalibus ſuſtulerunt, & contenti fue-*

ti fuerunt moralibus: ſed hi quoque qui removent, aliter inducunt. In quinque enim partes moralia dividunt: ut una ſit de fugiendis & expetendis, altera de affectibus, tertia de actionibus, quarta de cauſſis, quinta de argumentis. Cauſſæ rerum ex naturali parte ſunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali.

(29) *adverſæ fortunæ erudiendos ſæpius committit*] Sacer ſcriptor Sapientiæ Salomonis eodem prope pacto locutus eſt de juſtis & piis hominibus a Deo caſtigatis, capite 3. verſu 5. Καὶ ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, ὅτι ὁ θεὸς ἐπείρασεν αὐτοὺς, καὶ εὗρεν αὐτοὺς ἀξίους ἑαυτοῦ. Quæ vulgatus interpres ita Latine reddidit: *In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Græcum παιδευθέντες majorem profecto vim habet, quam Latinum *vexati*, reſpondetque noſtro *erudiendos*.

(30) *in quem Lucilius invehitur*] Apud M. Tullium libro 2. de Finibus Bonorum & Malorum.

(31) *quæ utenda acceperit, quum repetantur, ea reddere non invitum*] Cebes Thebanus in Tabula, de bonis Fortunæ loquens, Διὰ τοῦτο οὖν, inquit, τὸ δαιμόνιον κελεύει μὴ θαυμάζειν, ὅ, τι ἂν πράττῃ αὕτη, μηδὲ γίγνεσθαι ὁμοίους τοῖς κακοῖς τραπεζίταις. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι, ὅταν μὲν λάβωσι τὸ ἀργύριον παρὰ τῶν ἀνθρώπων, χαίρουσι, καὶ ἴδιον νομίζουσιν εἶναι. ὅταν καὶ ἀπαιτῶνται, ἀγανακτοῦσι, καὶ δεινὰ οἴονται πεπονθέναι. οὐ μνημονεύοντες, ὅτι ἐπὶ τούτῳ ἔλαβον τὰ θέματα, ἐφ᾽ ᾧ οὐδὲν κωλύειν τὸν θέμενον πάλιν κομίσασθαι. h. e. *Propterea igitur Genius jubet, non admirari, quodcumque hæc fecerit, nec improbis menſariis fieri ſimiles. Etenim hi, quum argentum ab hominibus accipiunt, gaudent, & proprium eſſe cenſent: quum autem repetitur,*

indi-

indignantur, & iniqua ſe pati putant; non recordantes, hoc pacto ſe mutuum accepiſſe, ut quando luberet, creditor id repeteret. Lucretius libro 3. verſu 984.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.

(32) *neque beatam vitam diuturnitate temporis æſtimare*] Seneca Epiſtola 32. *Conſidera, quam pulchra res ſit conſummare vitam ante mortem, deinde exſpectare ſecurum reliquam temporis ſui partem: in poſſeſſione beatæ vitæ poſitum: quæ beatior non fit, ſi longior.*

(33) *ſaturoſque convivas moriturus imitatur*] Sumtum hoc a Lucretio, qui libro 3. de R. N. verſu 948. ita hominem invito animo e vita excedentem alloquitur:

Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta, priorque;
Et non omnia, pertuſum congeſta quaſi in vas,
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?

Lucretium porro ſecutus Horatius, ita cecinit Satyra I. libri I. verſu 117.

Inde fit, ut raro, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contentus tempore, vita
Cedat uti conviva ſatur, reperire queamus.

(34) *ea tandem aperta & patefacta, &c.*] Digna ſunt quæ hic legantur Latine reddita, acutiſſimi philoſophi Malebranchii verba, quibus ipſi nobile opus ſuum *De Inquirenda Veritate* abſolvere placuit. *Satius eſt*, ait, *cum probis aliquot annos in quarumdam rerum ignoratione verſari, & uno demum temporis momento lumen in omnem æternitatem duraturum conſequi, quam naturalibus adminiculis ingenti cum ſtudio & labore ſcientiam imperfectam, quæque nos in æternis relinquat tenebris, adipiſci.*

(35) *pa-*

(35) *patruus tuus* CAROLUS] Eo tempore Dux Venetiarum.

(36) *absentiæ tuæ desiderium Patavini cives ægre admodum laturi sint*] *Desiderium absentiæ* hoc loco est mœror ex absentia contractus, cui desiderium absentis hominis adjunctum est; quemadmodum apud Ciceronem Philippica 2. *desiderium dissidii* est mœror ex dissidio & simultate ortus, cum desiderio reconciliationis. *Ipse autem amore ardens*, ait Cicero, *confirmabat, quod desiderium tui dissidii ferre non posset, se in exsilium esse iturum*. Plautus eodem plane modo locutus Amphitr. Act. 2. Sc. 2. v. 30. *Atque id si vult experiri, suum abitum ut desiderem, Ecastor med haud invita se domum recipit suam*. suum *abitum*, hoc est, ipsum qui abiit. Hunc loquendi modum reprehenderunt olim censores audaculi, homines male feriati, qui minus tritas aures habent notandis Latinæ orationis veneribus; & nihilominus triumphant gaudio quum occasionem obloquendi melioribus se nactos esse arbitrantur.

Cicero in calce lib. 3. de Finibus Bonorum & Malorum.

Physicæ quoque non sine caussa tributus idem est honos: propterea quod qui convenienter naturæ victurus sit, ei & proficiscendum est ab omni mundo, & ab ejus procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis & malis vere judicare, nisi omni cognita ratione naturæ, & vitæ, etiam deorum; & utrum conveniat, necne, natura hominis cum universa: quæque sunt vetera præcepta sapientium, qui jubent tempori parere, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis. Hæc sine physicis quam vim habeant (& habent maximam) videre nemo potest. Atque etiam ad justitiam colen-

dam

dam, ad tuendas amicitias, & reliquas caritates quid natura valeat, hæc una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturæ intelligi potest.

Idem libro 4. ejusdem Operis.

Etiam modestiam quamdam cognitio rerum cælestium affert iis qui videant, quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo: & magnitudinem animi, deorum opera & facta cernentibus: justitiam etiam, cum cognitum habeas, quod sit summi rectoris, & domini numen, quod consilium, quæ voluntas; cujus ad naturam apta ratio, vera illa, & summa lex a philosophis dicitur. Inest in eadem explicatione naturæ insatiabilis quædam e cognoscendis rebus voluptas: in qua una confectis rebus necessariis, vacui negotiis, honeste ac liberaliter possumus vivere.

Idem libro 1. de Natura Deorum.

Omnia philosophiæ præcepta referuntur ad vitam.
Vide Platonem lib. 10. de Legibus tom. 2. pag. 903.

M. Antoninus Imperator Eorum quæ ad se ipsum libro 2. num. 9.

Τούτων ἀεὶ δεῖ μεμνῆσθαι, τίς ἡ τῶν ὅλων φύσις, καὶ τίς ἡ ἐμή, καὶ πῶς αὕτη πρὸς ἐκείνην ἔχουσα, καὶ ὁποῖόν τι μέρος, ὁποίου τοῦ ὅλου οὖσα, καὶ ὅτι οὐδεὶς ὁ κωλύων τὰ ἀκόλουθα τῇ φύσει, ἧς μέρος εἶ, πράσσειν τε ἀεὶ καὶ λέγειν.

Horum meminisse semper oportet, quæ universi, quæ tua natura sit, quomodo hæc ad illam affecta, qualisque pars qualis universi exsistat, neminem quoque esse qui prohibere te possit, quominus ea facias dicasve semper quæ naturæ illi cujus pars es, consentanea fuerint.

D. Augustinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 1.

Nulla est homini caussa philosophandi nisi ut bea-

tus sit: quod autem beatum facit, ipse est finis boni: nulla est igitur caussa philosophandi nisi finis boni: quamobrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla philosophiæ secta dicenda est.

Petrus Gassendus Libro Prooemiali capite 2.

Philosophiæ dare operam, studereve sapientiæ, studere est primo ac præcipue suæ ipsius felicitati: scilicet, nisi quis eo spectat ut felicius vitam traducat, haud re vera philosophatur; ac jure de ipso dicat Comicus:

μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός.

Sapientem odio habeo, quisquis haud sapiens sibi est.

Idem Præfatione ad Ethicam, Operum tomo 2. pag. 580.

Id hic adnotandum -- -- -- -- Epicurum tanti fecisse moralem philosophiam, ut Physicam eatenus solum esse curandam censuerit, quatenus utilis quibusdam perturbationibus eximendis; ad ipsam proinde moralem, illiusve finem conducit.

Idem Ethicæ libro 1. capite 1. pag. 594.

Quod superest, tanti Epicurus facit cupiditatum discrimen nosse, & suos cuique fines, sicut par est, præscribere; ut & propterea Physiologiam esse necessariam, contendat, ad discernendum videlicet, quænam revera naturales, necessariæque dicendæ sint, quænam inanes, ac supervacaneæ; & posse putet tum solum vitam feliciter transigi, quum solis naturalibus, necessariisque retentis inanes, & supervacaneas procul amandaverimus.



JO.

JO. ANTONII
VULPII
PHYSICÆ PROFESSORIS
IN GYMNASIO PATAVINO
SCHOLÆ DUÆ,

Altera, De Ariſtotele, ejuſque laudatoribus, & reprehenſoribus: Altera, Quæ præcipue eidem philoſopho vitio vertantur.

His adjectum eſt

ΣΥΝΤΑΓΜΑ

De Veteribus Philoſophis Libro I. Phyſicorum ab Ariſtotele memoratis; in quo ſingulorum ſententiæ de rerum naturalium principiis breviter & ſummatim exponuntur; ad uſum ſtudioſæ juventutis.

EODEM VULPIO AUCTORE.

Viro Illustrissimo atque Excellentissimo

JOANNI FRANCISCO MAUROCENO EQUITI

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

QUÆRENTI *mihi, ac diligenter circumspicienti, cui potissimum ex tam magno numero Amplissimorum Virorum quibus* VENETA RESPUBLICA *abundat, Opuscula hæc mea, ad Philosophiam pertinentia, in fidem ac tutelam traderem; Tu statim occurristi,* JOANNES FRANCISCE MAUROCENE, *in cujus ea nomine, sine ulla prorsus dubitatione, apparere vellem. Quum enim amicorum hortatui repugnare non auderem, quotidiano pæne convicio ut ea ederem efflagitantium, providendum scilicet existimavi, ne adversus malevolorum impetus, vindice ac patrono carerent. Quem porro Tibi anteferre debueram, aut cujus præsidio tutus magis atque munitus esse poteram, quam tuo, Senator Præstantissime? qui summo quamvis loco natus, omnibusque fortunæ muneribus auctus, moderatione tamen, prudentia, gravitate, constantia, vitæ integritate, ceterisque viro principe dignis virtutibus id effecisti, ut apud homines non tantam generis tui splendor,*

non obitæ Legationes nobilissimæ, non gratia qua flores in civitate, non quæ domi forisque singulari cum laude a Te gesta sunt, quantam incorrupti mores, & animi tui magnitudo, in secundis rebus atque adversis æque spectata, admirationem sibi conciliaverint. Enimvero Solem quis facilius ab orbita sua deflectat, quam Te ab honestatis rectique tramite deducere possit. Sed illud me præter cetera, ut, nimio pudore abjecto, ad Te accederem, invitavit, quod lectione librorum, & familiaritatibus doctorum hominum mirifice delectaris, eosque in occulto sæpius latentes, benignitate tua protrahis, foves, confirmas: neque ullum umquam diem abire pateris quo non de studiis bonarum artium, in primis vero Philosophiæ, quibuscumque rebus potes (potes autem plurimis) egregie mereri nitaris. Hinc Tibi, sapientissimi Senatus auctoritate, Gymnasii Patavini Procuratio non semel commissa: cui provinciæ ita præfuisti, ut viros excellenti doctrina atque eruditione, qui disciplinas publice profiterentur, magnorum præmiorum spe proposita, in hanc urbem undique acciveris: quorum sane scripta cedro linenda, sempiterna prudentiæ tuæ, & summi, quo flagras, erga litteras & litteratos amoris monumenta futura sunt. Norunt omnes qui Ædium tuarum magnificentiam Venetiis umquam introspexere, Te in domestica Bibliotheca instruenda, exornandaque nulli sumtui pepercisse, neque etiamnum parcere: Hortos vero amœnissimos quos Patavii possides, nemo fere ingreditur, quin ingentem peregrinarum stirpium, florumque lectissimorum vim, ex omni terrarum angulo advectorum, mirari cogatur, quibus eos locuple-

locupletare quotidie pergis; ut & studiosorum hominum utilitati serviant, & Tibi gravissimis cogitationibus idemtidem fesso, honestissimum præbeant laxamentum. Quæ quum singula attentius considerarem, ac præterea memoria repeterem, Te, si quis alius, meis & conatibus & studiis propensa voluntate semper favisse; oblatam mihi aliquando occasionem ad significandum, quanti Te ac virtutes tuas facerem, amittere nolui; videlicet pro certo habens, hoc meum qualecumque munusculum a Te (qua es in omnes humanitate) perbenigne exceptum iri. Hic porro Libellus duas Orationes, sive Scholas, complectitur, quas anno superiore in Gymnasio Patavino habueram, quum primum ad hoc tradendæ Philosophiæ munus accessissem. Harum argumentum est, de Aristotele, ejusque decretis ea in medium proferre quæ sciendi cupidam juventutem ab immoderata opinionum licentia, quasi frenis quibusdam injectis, continere possint,

Si modo præceptis patientem accommodet aurem.

Eo enim jam temeritatis ventum est, ut summi Philosophi doctrinam non solum diserti atque acuti homines (quotus autem quisque hujusmodi est?) verum etiam adolescentuli, vix primis elementis imbuti, audacissime cavillentur. quod sane nihil aliud esse mihi videtur, quam, ut veteri proverbio dicitur, Barbam vellere mortuo leoni. *Duabus hisce Orationibus, additamenti loco, breve Commentarium adjunxi de Veteribus Philosophis Libro I. Physicorum ab Aristotele memoratis; in quo singulorum sententias de rerum naturalium principiis breviter &*

summatim explicare conatus sum. Jamdiu enim animadverteram, Aristotelem parcius de hujuscemodi opinionibus locutum quam ut a quolibet penitus cognosci atque intelligi possent. Quod Commentarium quamvis nonnulla contineat ex Historia Philosophiæ Thomæ Stanleji depromta, ea tamen exhibet ita immutata, eoque cultu induta, ut jam alia omnino videantur: & præterea meas quasdam cogitationes proponit, nisi me rerum mearum amor valde fallit, non omnino contemnendas. Hæc volebam nescius ne esses, Præstantissime Senator. Nunc reliquum est ut Te orem atque obtester, ut, si Amplissimæ Dignitati tuæ plurimum tribuo; si Tibi, carissimis Pignoribus, atque universæ Familiæ tuæ læta & prospera omnia a Deo Optimo Maximo & precor, & opto; quod facere ex animo numquam desinam; hæc Opuscula humane atque hilare, tuo more, excipias, meque in tui census volumine adscribas. Vale, ac Reipublicæ & Litterarum bono diutissime vive.

Patavii. Nonis Januarii. MDCCXXVIII.

SCHO-



SCHOLA PRIMA.

De Aristotele, ejusque laudatoribus, et reprehensoribus.

Habita in Gymnaſio Patavino III. Kal. Martias A. D. MDCCXXVII.



HYSICAM diſciplinam, Triumvirûm Litterariorum juſſu, Auguſtique Senatus Veneti decreto, ſtudioſis adoleſcentibus ex hoc illuſtri loco traditurus, & Ariſtotelis dogmata, ut vetus mos eſt hujus celeberrimi Gymnaſii, potiſſimum explicaturus, id mihi primum omnium faciendum eſſe judico, ut de Ariſtotele ipſo, ejuſque ſcriptis pauca quædam commemorem; quæ apud eruditos quidem viros, & in antiquitatis cognitione diu multumque verſatos vulgaria fortaſſe fuerint, ſed tamen, quod ea ſcire juventutis interſit, prætermitti non debent. Quod quum præſtitero, nonnulla deinceps de hujus philoſophi, totiuſque Peripateticæ ſcholæ amatoribus, nonnulla item de inimicis ac reprehenſoribus, hodierno die, quam breviſſime potero, adjun-

jungam: perendie autem, quænam præcipue Aristoteli vitio dentur, exponam, & utrum jure, an injuria, sedulo inquiram: postremo, quid in tanta opinionum licentia, quæ nunc auctoritatis jugo penitus excusso, plurimorum mentes invasit, cordatum hominem agere deceat, sine ullius offensione declarabo.

Aristoteles igitur, Peripateticorum princeps, Stagiris natus est: quæ urbs in Thraciæ Macedoniæque finibus olim sita fuit, ac propterea modo huic, modo illi provinciæ attributa. Pater illi Nicomachus; qui in majoribus suis Machaonem, medendi arte præstantissimum, numerabat: cujus nomen Homeri carminibus valde celebratum est. Hic Nicomachus, avitis vestigiis insistens, & ipse medicinam fecit: ejusque opera usus est Amyntas Macedoniæ rex, Philippi pater, Alexandri Magni avus, vir bellica laude excellens. Mater Aristotelis Phæstis, sive Phæstias, appellata fuit. Natus autem est olympiadis XCIX. anno I. Archonte apud Athenienses Diotrephe, ut Diogenes quidem Laërtius, & Dionysius Halicarnasseus memoriæ prodidere. Parentibus vita functis, dum ipse admodum tener esset, Proxenum quemdam Atarnensem educatorem invenit; a quo liberaliter puerili doctrina institutus, poëticis & rhetoricis studiis animum summopere excoluit: cujus rei testes olim fuere Quæstiones Homericæ ab ipso adolescente conscriptæ, quæ jamdiu interciderunt. Anno ætatis XVII. jussu Oraculi Delphici, Athenas migravit, eo consilio scilicet, ut ceteris omnibus posthabi-

habitis, aut certe in aliud tempus dilatis, uni philoſophiæ operam daret. Ea in urbe viginti annorum ſpatio Platonem in Academia docentem audivit, ab eoque ſapientiæ præceptis imbutus eſt. Plato vero, teſte Joanne Philopono, cognomine Grammatico, in libro de mundi æternitate contra Proclum, Ariſtotelis ingenium adeo probavit, ut eum τὸν νȣ̃ν τῆς διατριβῆς, *mentem* videlicet *ſcholæ*, ejuſque domum οἶκον τȣ̃ ἀναγνώςȣ, *domum lectoris* appellaret; quod nimirum in libris pervolutandis dies noctesque conſumeret. Porro quum ab eodem Platone Xenocrates Ariſtoteli ſtudiorum ſocietate junctus eſſet, dolebat ſæpius vir divinus, aſinum ſe equo junxiſſe: ajebatque, calcaribus Xenocratem, freno Ariſtotelem indigere. Ortæ ſunt poſtea inimicitiæ præceptorem inter ac diſcipulum: quarum, aliæ ab aliis cauſſæ narrantur. Sunt qui ſcribant, Ariſtotelis mores Platoni diſplicuiſſe, veſtis item genus, quo maxime ſplendido ac molli utebatur, comam præterea, tonſoris manu accurate compoſitam, inceſſum, faſtidii atque arrogantiæ plenum, faciem denique ad riſum paratam, & contemtum quemdam præſeferentem: quæ omnia ab illius temporis philoſophorum, potiſſimum vero Platonis, modeſtia & frugalitate aberant ſane plurimum. Quod autem Ariſtoteles, magna ſectatorum caterva ſtipatus, Academiam ingreſſus fuerit, ac Platonem dialecticis argutiis, & ſophiſtarum fallaciis circumvenerit; qua re turbatus Plato domum ſuam ſe receperit, docendique facultatem deinceps illi permiſerit, fabella videtur ab Ariſtoxeno,

xeno, Ariſtotelis diſcipulo, conficta; qui magiſtro vehementer iratus, quod ipſi Theophraſtum ille prætuliſſet, eumque ſibi ſuccedere in Lyceo voluiſſet, varias calumnias in Ariſtotelem excogitavit, atque in vulgus emiſit: quod animadverſum eſt ab Euſebio, Præparationis Evangelicæ libro XV. capite II; quum aliunde noverimus, Ariſtotelem, quamvis a Platonis ſententiis non raro diſcedat, ejus tamen, ubi occaſio datur, honorificam facere mentionem; tantaque in eum pietate ſemper fuiſſe, ut ipſi de vita ſublato aras erexerit, divinoſque honores inſtituerit. Pythaidem Hermiæ eunuchi, ſororem, Atarnenſium in Myſia tyranni, quîcum conjunctiſſime vixerat, & a quo ingentibus beneficiis affectus fuerat, moribus & verecundia mulieris captus, uxorem duxit. qua poſtea vita functa, Herpylidem quamdam, civem ſuam, in matrimonio habuit, ex qua Nicomachus filius ei natus eſt, & ipſe ſtudiorum laude clarus. Per idem tempus Philippus Macedoniæ rex, vir, ſi quis alius, imperandi ſcientiſſimus, rerumque geſtarum gloria celeberrimus, quum Alexandrum filium, quem ex Olympiade ſuſceperat, adoleſcere videret, de ejus educatione valde ſollicitus, Ariſtoteli, cujus fama ſapientiæ totam Græciam pervagata erat, philoſophiæ præceptis erudiendum committere decrevit: miſitque Athenas ad virum ſummum epiſtolam, qua ipſum optimis conditionibus in Macedoniam invitat; id teſtatus, Se diis immortalibus agere gratias, quod filio auctus eſſet ea potiſſimum ætate, qua viveret Ariſto-

riſtoteles. Hujus epiſtolæ exemplum nobis ſervatum eſt ab A. Gellio, Noctium Atticarum lib. IX. cap. III. Maximi regis invitationibus paruit philoſophus: quumque munere ſuo diligentiſſime fungeretur, non ſolum apud alumnum, verum etiam apud Philippum, ejuſque uxorem Olympiadem, ingenti auctoritate & gratia floruit. Ibi octo annos commoratus eſt, ad id nimirum tempus quo, poſt Philippi mortem, Alexander regno potitus, atque incredibili gloriæ cupiditate agitatus, in Perſas exercitu comparato, mare tranſmiſit. Tunc enim ſtudiorum quietem, animique tranquillitatem belli tumultibus præferens Ariſtoteles, diſcedendi veniam a rege impetravit, Calliſthene Olynthio, conſanguineo ſuo, apud eum relicto; qui poſtea quum in Alexandrum conjuraviſſet, detecta conjuratione, abſciſſis auribus & naſo, cavea ferrea incluſus, diuque ad ludibrium circumlatus eſt: ac tandem leonibus objectus, ut quidem Diogenes Laertius narrat, immaniſſimi excogitati facinoris morte pœnas luit. Athenas igitur rediit Ariſtoteles, atque ibi quum Academiam a Xenocrate occupatam inveniſſet, Lyceum ſibi ad docendum delegit. qui locus fuit in Athenarum ſuburbio, eo conſilio a Pericle conditus, ut ibi novos milites bellicis artibus exerceret. Eo in loco quotidie docebat philoſophus noſter, deambulans uſque ad horam qua ungi Græci ſolebant: quod ab illis ante cœnam fiebat. *A deambulando* igitur, ſive, ut Græci loquuntur, ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, auditores Ariſtotelis *Peripatetici* appellati, ſcholaque ipſa *Peripatetica*.

Diſ-

Diſputationum vero Ariſtotelis duo genera fuere: quaſdam enim ἐξωτερικὰς ipſe nominavit, quaſdam ἀκροαματικάς. Ἐξωτερικαὶ dicebantur, quæ ad eloquentiam, civiliumque rerum notitiam auditores informabant; quibus pomeridianas horas, & δειλινὸν περίπατον, *veſpertinam* ſcilicet *deambulationem* dabat. Ἀκροαματικαὶ contra erant, in quibus philoſophia quædam ſecretior, & a vulgi captu remotior tractabatur: quæque ad naturæ cognitionem, dialecticaſque ſubtilitates pertinerent, adoleſcentibus tradebantur. His antemeridianum tempus, & ἑωθινὸν περίπατον, id eſt *matutinam deambulationem* deſtinaverat. Ex quo duplici diſputationum genere, libri quoque ab Ariſtotele conſcripti in duo genera tribui cœpere: qui enim populari quadam dicendi ratione lectoribus ſe commendant, modicaque animi contentione adhibita, facile intelligi poſſunt, hos *exotericos* appellant: qui vero circa res obſcuriores ac difficiliores verſantur, dataque opera preſſius exarati ſunt, ut ſcilicet rudiorum ingenia magis exercerent, iiſque magiſtrum ſæpius conſulendi neceſſitas imponeretur, illos *acroamaticos* vocant. Quod poſterius librorum genus quum in manus hominum perveniſſe intellexiſſet Alexander, rem graviter tulit, & cum Ariſtotele expoſtulavit: maluiſſet enim, hujuſmodi libros occultari, ut ſcilicet ipſe ceteris hominibus, quibus potentia antecedebat, etiam ſapientia præſtaret. Cui tamen querelæ Ariſtoteles ita occurrit: Editos quidem libros illos a ſe fuiſſe, verum eorum promulgatione nihil prorſus de Alexandri gloria de-

tra-

tractum iri: tantis enim tenebris eos de industria involutos, ut qui vivam magistri vocem minime audissent, eorum intelligentiam assequi non possent. Exstant amborum epistolæ apud A. Gellium lib. XX. cap. V. Quod tamen non ita accipi velim, quasi de *acroamaticis* Aristotelis libris intelligendis omnino desperandum sit: frustra enim in scholis jussu magistratuum explanarentur, frustraque ab auctore conscripti fuissent: sed ita potius, ut horum librorum explicatio viros requirat acerrimo ingenio, in studiis exercitatos, neque vigiliis neque labori parcentes: quorum virorum penuria nullo non tempore magna est. Porro Aristoteles omnes philosophiæ partes tractavit, diligentius quidem & copiosius quam ab ullo antiquorum factum sit: multaque in singulis nova protulit; quemadmodum in Logicis demonstrandi artificium, quod pulcherrimis Analyticis libris accuratissime explicavit. Historiam præcipue animalium collegit: ad quod opus conficiendum ingentes ei sumtus Alexander Magnus suppeditavit, octingenta nimirum talenta, ut Athenæus auctor est δειπνοσοφιστῶν libro IX. Aliquot insuper hominum millia, in quibus erant venatores, piscatores, aucupes, totam Græciam atque Asiam peregrinari jussit, & si quid in quadrupedum, piscium, aut volucrum genere novi, aut rari invenissent, id continuo ad Aristotelem deferre; ne scilicet vir maximus ullum naturæ opus ignoraret. Ab his percunctando Aristoteles quinquaginta volumina de animalium natura confecit; ex quibus decem tantummodo hoc nostro

tem-

tempore ſuperſunt. Tredecim igitur annis philoſophiam Athenis profeſſus eſt Ariſtoteles, a nemine appetitus injuria. Vix autem e vivis Alexander exceſſerat, quum Eurymedon quidam, ſacrorum antiſtes, impietatis eum apud judices accuſavit, tamquam de diis & religione philoſophus minus recte ſentiret: (1) quæ calumnia a ſtupidis & indoctis in ſapientiſſimos quoſque viros, quaſi ſica aliqua venenata, ſemper adhibita eſt. Athenis igitur relictis, Chalcidem ſe contulit, eoque in oppido, poſtquam Theophraſtum in tradenda philoſophia ſucceſſorem ſibi delegiſſet, vi morbi conſumtus de vita migravit, quum annum ætatis ageret LXIII. qui annus κλιμακτηρικὸς a medicis vocari conſuevit, difficiliſque ac periculoſus habetur. De morte Ariſtotelis multa feruntur fabuloſa; illud in primis, quod Juſtinus Martyr in Parænetico, Etymologus Græcus verbo Εὔριπος, & Cœlius Rhodiginus Antiquarum Lectionum libro XIX. cap. VIII. memoriæ prodidere; eum ſcilicet pudore exſtinctum, quod propoſitam ſibi a nonnullis de Euripo quæſtionem ſolvere neſciviſſet: cujus Euripi ea natura eſt, ut

(1) Plato in Euthyphrone tom. 1. pag. 3. ὡς οὖν καινοτομοῦντός σου περὶ τὰ θεῖα, γέγραπται ταύτην τὴν γραφήν· καὶ ὡς διαβαλῶν δὴ ἔρχεται εἰς τὸ δικαστήριον, εἰδὼς ὅτι εὐδιάβολα τὰ τοιαῦτα πρὸς τοὺς πολλούς. hoc eſt: *Quaſi ergo novum aliquid de rebus divinis introduceres, hanc accuſationem inſtituit. atque eo conſilio, ut tibi hac calumnia conflet invidiam in forum prodit, quod res hujuſmodi apud plebem ſit facile calumniæ obnoxia.*

ut XXIV. horarum ſpatio ſepties fluat ac refluat. Nec deſunt qui ſcribant, quum ipſe in litore ſedens, aliquamdiu Euripum conſideraſſet, neque rei cauſſam percipere ullo modo poſſet, tædio victum, in eum ſe dediſſe præcipitem; ut quoniam Ariſtoteles Euripum comprehendere nequiret, Euripus contra Ariſtotelem caperet. Sed hæc omnia ab ejus obtrectatoribus maligne conficta videntur, ut antea monuimus.

Hactenus de Ariſtotele ipſo: nunc de ipſius laudatoribus, itemque de inimicis nonnulla dicenda ſunt. Ariſtotelis ingenium vetus Græcia univerſa ita eſt admirata, ut eum δαιμόνιον appellaverit. Stagiritæ vero ſummi viri memoriam quotannis colebant, feſto die inſtituto, & religione ſacrorum, quæ a Philoſophi nomine ἀειστοτέλεια vocavere. Ammonius, qui de vita ejus præclarum Commentarium ſcripſit, pronuntiare non dubitavit, omnes eum humani ingenii terminos fuiſſe tranſgreſſum: ὑπερβέβηκε, inquit, ἀνθρώπινα μέτρα. M. Tullius Cicero, non ſolum eloquentiæ princeps apud Romanos, verum etiam philoſophiæ ſtudiis clariſſimus, miris ubique Ariſtotelem laudibus ornat; eique, ſecundum Platonem, quem præ ceteris omnibus admirabatur, doctrinæ ac ſapientiæ palmam defert. Nemo autem in laudando Ariſtotele tam longe provectus eſt quam Averroës Arabs, qui tanti philoſophi ſcripta copioſiſſimis explanationibus interpretatus eſt. Hujus enim verba ſunt: *Ariſtotelis doctrinam ſummam eſſe veritatem; quam contra ne hiſcere quidem homini ſano fas fuerit. gratias iccirco Deo Opt. Max.*

agendas, qui tanta in eum dona contulerit, ipsumque in fastigio quodam collocaverit, ad quod nullus hominum antea pervenerit, neque ullo deinceps tempore quisquam pervenire possit. Quæ nimia profecto sunt atque immoderata, & præterea illiberale ac pertinax barbarorum ingenium arguunt, neque sine gravissima in genus humanum contumelia jactantur. Omitto nunc prope infinitam *Scholasticorum* multitudinem, qui sibi hanc legem imposuere sanctissime observandam, ut ne vel transversum unguem ab Aristotelis præceptis discederent; in umbra semper atque otio philosophati, neque umquam ad contemplanda naturæ opera in apertum prodeuntes. qui tamen quum se puros putos Aristoteleos dici atque haberi vellent, magistri sententias fœde corruperunt, nihilque minus quam ejus mentem sunt assecuti. Id vero duabus præcipue de caussis, Græcæ videlicet linguæ ignoratione, nimiaque disputandi libidine effectum est. Non abs re futurum existimo si unius tantum ex hoc acutissimorum hominum grege verba huc attulero. Is est Didacus Masius, qui quum in Commentario ad caput V. libri IV. Physicorum Aristotelis, insignem controversiam de Loci natura proposuisset; de qua scilicet Stoici, Academici, Claudius Galenus, Joannes Philoponus, & Julius Cæsar Scaliger ab Aristotele dissentiunt, ita scribit: *Ego vero, nisi me Aristotelis auctoritas & D. Thomæ compelleret, manibus pedibusque in sententiam de intervallo libenter abirem, quam & intellectu faciliorem, paucioribusque difficultatibus patere, si attente & argumenta superio-*

periora, & quæ de natura illius diximus, contemplemur, facile deprehendemus. Verum quia ingenii fasces submittendi sunt Aristoteli & D. Thomæ, fatemur, locum superficiem esse & non intervallum, quia hi gravissimi philosophi tradiderunt. Sed quemadmodum Aristotelis nomen plurimis venerabile atque augustum fuit; sic ex altera parte, ut sunt hominum ingenia inter se diversa, non defuere qui egregium virum falsis criminibus in odium atque invidiam vocare, ipsique perpetuas infamiæ notas inurere conarentur. Quæ inimicorum conspiratio multum ad Aristotelis gloriam conferre videtur; magnorum enim virorum id fatum est, ut amicitiis pariter ac inimicitiis clareant: neque laus illa perfecta habenda cui nullas pusillorum & malevolorum hominum voces obstrepere audiamus. E veteribus, maxime infensi Aristoteli fuere Aristoxenus, atque Epicurus: quorum alter ægre ferebat, Theophrastum sibi a præceptore prælatum, ut antea dictum est: alter naturæ vitio ad maledicendum ferebatur. Obscurioris vero nominis, tamquam rabiosæ aliquæ ex trivio caniculæ, obtrectatores hi perhibentur, apud Eusebium Præparationis Evangelicæ libro XV. capite II; Alexinus, Eubulides, Democharis, Cephisodorus, Lyco. Quorum aliquis Aristoteli sordidum quæstum, aliquis crapulam, libidinem, atque impudicitiam, aliquis adversus deos impietatem, vel in Platonem ingratum animum, aut venenum Alexandro datum, alius denique antiquorum scripta compilata, & postea igni deleta objecit. Quæ omnia eo argumento falsa esse di-

gnoſcimus, quod in criminibus ipſi affingendis ne duo quidem conſentiant, ſed ſinguli ſingula comminiſcantur. Quid vero ſtultius, aut veritate alienum magis, quam ab Ariſtotele veterum philoſophorum monumenta incendio fuiſſe conſumta? quum longo ab ipſius ætate intervallo, temporibus nempe Ciceronis, exſtarent, qui eorum teſtimonio ſæpiſſime utitur in libris quos de philoſophia ſcripſit. Enimvero tanti fluctus in immerentem concitati non eſſent, niſi & apud reges gratia floruiſſet, ac æqualibus ſuis omnibus doctrinæ magnitudine præcelluiſſet. Incredibile videri poſſet, quod Laërtius de ipſo litteris mandavit, eum ſcilicet quadringenta volumina conſcripſiſſe; niſi Franciſcus Patricius in Diſſertationibus Peripateticis, aliorum ſcriptorum fidem ſecutus, ad ſeptingenta quadraginta ſeptem eorum ſummam produceret. (1) *Inde*, igitur, *iræ*, *&* *lacrimæ*, ut ait poëta. Quid ego nunc veteres Eccleſiæ Catholicæ Patres commemorem? quos viros, boni ſuperi! quam graves! quam doctos! quam divinæ ſapientiæ lumine illuſtratos! qui omnes, tamquam facto agmine, Ariſtotelis philoſophiam e Chriſtianorum ſcholis excedere jubent, eamque cane pejus & angue vitari oportere contendunt; quod ſcilicet Divinorum Librorum auctoritati repugnans, mundi æternitatem, humanæque mentis ſimul cum corpore interitum doceat, aliaque impia & abſurda dogmata in medium afferat, vique argumentorum confirmare ac ſtabilire conetur.

(1) *Juven. Sat.* 1. *v.* 168.

netur. Operæ pretium eſt audire Clementem Alexandrinum, cujus hæc ſunt verba in Paræneſi ad Ethnicos: Οὐδὲν δὲ οἶμαι χαλεπὸν, ἐνταῦθα γενόμενος, καὶ τῶν ἐκ τοῦ περιπάτου μνησθῆναι· καὶ ὅγε τῆς αἱρέσεως πατὴρ, τῶν ὅλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα, τὸν καλούμενον ὕπατον, ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται· τουτέστι τοῦ κόσμου τὴν ψυχὴν θεὸν ὑπολαμβάνων, αὐτὸς αὑτῷ περιπείρεται· ὁ γάρ τοι μέχρι τῆς σελήνης αὐτῆς διορίζων τὴν πρόνοιαν, ἔπειτα τὸν κόσμον θεὸν ἡγούμενος, περιτρέπεται, τὸν ἄμοιρον τοῦ θεοῦ, θεὸν δογματίζων· ὁ δὲ Ἐρέσιος ἐκεῖνος Θεόφραστος, ὁ Ἀριστοτέλους γνώριμος, πῆ μὲν οὐρανὸν, πῆ δὲ πνεῦμα τὸν θεὸν ὑπονοεῖ. id eſt: *Nec vero moleſtum erit, ut arbitror, quum ad hunc locum pervenerim, meminiſſe etiam Peripateticorum. Cujus ſectæ pater, rerum omnium patrem ignorans, eum qui ſupremus dicitur, animam eſſe univerſi exiſtimat: adeoque animam hujus mundi pro Deo habens, ipſe a ſe confoditur. Etenim providentiam uſque ad Lunæ orbem definiens, deinde vero mundum eſſe Deum exiſtimans, eo fertur, ut eum qui Dei expers eſt, Deum eſſe ſtatuat. Ereſius autem ille Theophraſtus, Ariſtotelis familiaris, modo quidem cælum, modo vero ſpiritum eſſe Deum affirmat.* His conſentanea, immo & acerbiora legere eſt apud Juſtinum Martyrem in ejus Dialogo cum Tryphone; Irenæum Lugdunenſem Antiſtitem, libro II. adverſus hæreſes, capite XIX. Tertullianum libro de præſcriptione hæreticorum, capite VII. & in libris adverſus Hermogenem; Lactantium Firmianum Divinarum Inſtitutionum libro I. capite V. libro III. capite VIII. & libro VII. ca-

pite I. Gregorium Nazianzenum Oratione XXVI. & XXXIII. Epiphanium libro II. hæresi LXIX. & libro III. hæresi LXXVI. Ambrosium libro I. Officiorum; & plures alios, quos accurate recensset Joannes Launojus, Parisiensis Theologus, in libro *De varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna*, ego vero libenter prætermitto, ne auditores meos humanissimos molestia fortasse afficiam. Horum profecto sanctissimorum hominum testimonio Aristotelis caussa ita premitur, ut difficillimum videatur idoneam aliquam invenire responsionem. Verumtamen illud cogitandum est, si adversus Aristotelem hujusmodi accusationes accipimus, non ipsum modo, sed & omnes veteres philosophos, historicos, oratores, in primis vero poëtas, abjiciendos nobis esse: in quorum libris plurima passim occurrunt quæ ad falsorum numinum cultum pertineant, & Christianæ pietati summopere adversentur. Et sane, quid caussæ est, quod Græcos Latinosque poëtas tanta cum animi voluptate legamus, nihilque in eo nos peccare arbitremur; nisi, quod ipsorum errores ita manifesti atque explorati sunt, ut nobis fucum facere nullo modo possint? Non est igitur ab Aristotelis lectione omnino abstinendum, sed potius adhibenda cautio, ne quid imprudentibus fortasse noceat: utilesque sententiæ, quæ apud hunc philosophum magno numero sunt, ab inutilibus & pestiferis diligenter secernendæ. Quod & in Platone ipso, veterum Ecclesiæ Patrum deliciis atque amoribus, locum habet: cujus illi opiniones amplexi, ab Aristotele abhorruere. neque enim

nim Plato, vir alioqui divinus, nævis quibusdam & maculis caret, quæ & maximum illum Origenem, Platonicæ philosophiæ studiosissimum, in errorem induxere. ut illud compertum sit, qui CHRISTUM ignoraverit, veritatem penitus assecutum esse neminem. Primis autem Ecclesiæ temporibus, quum vera religio inter hostes acerbissimos versaretur, quorum alii ferro, alii sophismatis in ipsam pugnabant, severiores jure fuerunt in libros philosophorum viri illi sapientissimi qui providere debebant, ne quid Christiana respublica detrimenti caperet: nunc viribus piorum confirmatis, depulsis periculis, CHRISTO longe lateque imperante, majore quadam libertate utimur qui philosophiæ studiis vacamus. Quid? num sana omnia, incorrupta, aut ἀκίνδυνα in eorum hominum libris qui vetera quæque delicatissimo fastidio aspernati, nova tantum & sua mirantur? Nonne in quibusdam regionibus non ita pridem reperti sunt qui suis & ingeniis & studiis ferocius confisi, sanctissimas etiam religiones, atque instituta majorum, ad leges nescio quas ineptissime revocare ac perpendere voluerunt: supremoque illi rerum conditori ac parenti, quem nemo umquam, nisi insanissimus, esse pernegavit, bellum internecinum indixerunt; ut eum scilicet, si fieri posset, ex animis hominum omnino delerent? Horum opera scilicet, ac venenatis sermonibus & factum est antea, & quotidie fit, ut (1)

Esse aliquos manes, & subterranea regna
Nec pueri credant, nisi qui nondum ære lavantur.

F 4 Sed

(1) *Juvenalis Sat. 2. v. 149.*

Sed jam de ſemita in viam redeamus. Quum igitur poſtremis hiſce ſæculis omnia tranquilla, pacata omnia eſſe viderentur, & Stagiritæ doctrina ſcholarum principatum obtineret, exorti ſunt repente qui eum de veteri poſſeſſione dejicere ac deturbare niterentur: in quibus fama clariſſimi exſtitere Petrus Ramus, Franciſcus Patricius, & Petrus Gaſſendus. Ac Ramus quidem tanto in Ariſtotelem odio exarſit (videte hominis ineptias) ut eum libris in vulgus editis, aſſiduiſque maledictis divexans, immanes tragœdias in Academia Pariſienſi excitaverit, quibus doctiſſimos homines, Ariſtoteli faventes, ac ſtudioſorum adoleſcentium multitudinem ad inimicitias vocavit: quorum tandem conſpiratione in cubiculo occiſus, & de feneſtra in ſubjectam aream præceps datus, effuſis viſceribus, violati Ariſtotelis manibus pœnas dedit. Franciſcus autem Patricius, vir ſummo ingenio, & in antiquorum monimentis perlegendis maxime exercitatus, Ariſtotelis doctrinam & ſcriptis & voce funditus convellere adortus eſt; quumque in Romano Gymnaſio philoſophiam publice profiteretur, Gregorio XIV. Pontifici Maximo auctor fuit per epiſtolam, ut Ariſtotelis voluminibus, tamquam impietatis magiſtris, procul amandatis, novam philoſophiam, ex antiquis tamen puriſque fontibus petitam, in ſcholas induceret. cui poſtea rogationi, ut videtur, tribunus aliquis interceſſit. Petrus denique Gaſſendus, vir ſingulari eruditione, qui Democriti atque Epicuri decreta e diuturno ſitu atque oblivione in lucem protraxit, toto libro primo

Exer-

Exercitationum Anti-peripateticarum, Ariſtotelem modis omnibus dilacerandum ſuſcipiens, nihil ſani ab eo dictum eſſe clamitat: univerſam ejus philoſophiam, ineptam, garrulam, litigioſam, inertem, obſcuram, fallaciſſimam appellat. Secundo autem libro Categorias Ariſtotelis irridet, Logicam ejus Analyſin flocci facit, quaſi deliria tantum & nugas continentem, definitiones ab eo allatas improbat, Pyrrhonioſque philoſophos, qui nihil ſciri poſſe affirmabant, quodammodo tueri videtur. Sed ne nimis longa oratione vobis moleſtiæ ſim, Auditores optimi, reliqua quæ dicenda propoſueram, Deo dante, vobiſque faventibus, proxima ſchola exſequar.



SCHO-



SCHOLA ALTERA.

QUÆ PRÆCIPUE ARISTOTELI VITIO VERTANTUR.

Habita in Gymnasio Patavino Kal. Martii A. D. MDCCXXVII.



NIMADVERTI sæpius, eos qui nullum sibi cum Aristotele commercium esse volunt, quamvis interdum omnibus eum contumeliis onerent, tria nihilominus, tamquam accusationis præcipua capita, ipsi, ejusque doctrinæ objicere solere: obscuritatem videlicet; ἀπαιδευσίαν, sive ἀμεθόδειαν, nimirum ordinis negligentiam; & falsas de rebus opiniones. Quæ singula hodierno die paullisper considerare decrevi; & si qua refellenda fuerint, refellere, si qua probanda, probare, sine iracundia, & partium studio.

Ut igitur quod primum proposui, id primum exsequar; obscuritatis librorum Aristotelis caussæ plures feruntur, de quibus olim copiosam orationem habuit Petrus Joannes Nunnesius, Valentinus,

nus, Eloquentiæ ac Philoſophiæ Doctor in Academia Barcinonenſi: ſed earum certiſſima & vulgatiſſima illa eſt, tanti philoſophi monumenta, corrupta, depravata, interpolata, confuſa ad noſtram ætatem perveniſſe: multumque ab illo nitore abeſſe quem a ſcriptoris manu quondam acceperant. Strabo enim Geographiæ libro XIII. ut eruditis notum eſt, narrat, Ariſtotelem principem omnium fuiſſe quos bibliothecam libris undique conquiſitis inſtruxiſſe conſtet; cujus poſtea exemplum Ptolemæi Ægypti reges imitati fuerint, condita illa celebri Alexandrina. Hoſce autem libros, eodem Strabone teſte, Ariſtoteles morti proximus Theophraſto Ereſio tradidit, quem ſibi ſuccedere in docendi munere voluerat. Theophraſtus porro volumina ſua omnia Neleo cuidam Scepſio teſtamento legavit; qui Scepſin ea deportavit, morienſque hæredibus ſuis reliquit, hominibus litteraturæ omnis expertibus, qui ejuſmodi ſupellectile tam delectabantur,

Quam gaudet ſpeculo cæcus, quam pectine calvus.

Ii vero quum audiviſſent, Attalicos reges, quibus eo tempore Scepſii parebant, inſignem bibliothecam inſtituiſſe; ne librorum poſſeſſione inviti ſpoliarentur, eos in abdita quadam ſpecu ſepelivere, ubi centum triginta ferme annos delituerunt, ſitu ac vermibus fœde vitiati. Poſtremo quum in manus nonnullorum perveniſſent ex Ariſtotelis ac Theophraſti progenie, ab iis Apelliconi Tejo venditi ſunt, Peripateticæ philoſophiæ amatori, ſed librorum magis cupido, quam diſciplinis erudito. Hic Ariſtotelis monumenta, quæ

non-

nonnihil detrimenti ceperant, ſtatim deſcribi curavit, lacuniſque perperam expletis, ut deinceps corruptiſſima legerentur, effecit. Paullo poſt autem Apelliconis mortem, quum L. Cornelius Sylla Felix Athenas occupaviſſet, hujuſmodi bibliothecam inde ſublatam, Romam ſecum aſportavit. Qua in urbe Tyrannio Grammaticus, Ariſtotelis memoriæ ſtudioſiſſimus, venia ejus libris utendi a bibliothecæ præfectis impetrata, eos librariis iterum deſcribendos dedit: qui quum illa quæ ſcripſerant, cum antiquo exemplari, unde ſumta fuerant, conferre neglexiſſent, corruptarum lectionum numerum inſigniter auxere. Hactenus Strabo. Plutarchus autem in vita Syllæ huic Strabonis narrationi addit, Andronicum quemdam Rhodium a Tyrannione illos accepiſſe, atque in vulgus edidiſſe maculis iis deformatos quas hodie in illis paſſim deprehendi dolemus. Atque hæc prima & potiſſima obſcuritatis librorum Ariſtotelis, cauſſa eſt; quæ fato potius, quam ipſi ſcriptori tribuenda. Secunda quidem cauſſa ipſum Ariſtotelem auctorem habet, qui ſcilicet quum philoſophiam aperte ac perſpicue ſtudioſis hominibus tradere ſtatuiſſet, neque eam fabularum atque ænigmatum involucris obtegere vellet, quod ſuperiores philoſophi ante ipſum fecerant, ne tamen a ſapientibus in odium atque invidiam traheretur, quod cæleſtem diſciplinam profani vulgi manibus indigne contrectandam expoſuiſſet, preſſa iccirco & ſubobſcura in *acroamaticis* libris dicendi ratione uſus eſt: quam ſollertes quidem homines, multarumque litterarum præſidio inſtructi,

cti, adhibito ſtudio, intellecturi eſſent; ſtupidi vero & rudes, omnino explicare non poſſent. Quod Ariſtotelis conſilium juſtis æſtimatoribus, laude potius, quam reprehenſione dignum videbitur; qui noverunt, difficillimum & valde periculoſum eſſe veterem docendi conſuetudinem ſubito immutare, ac majorum inſtituta nimia feſtinatione convellere. Ceterum Peripateticæ familiæ philoſophos, Ariſtotelem imitatos, a fabulis in ſcribendo abhorruiſſe, planeque ac perſpicue locutos fuiſſe, teſtis locuples eſt Maximus Tyrius Diſſertatione XXII. his verbis: Βούλει τοίνυν Ἀριστέαν μὲν καὶ Μελησαγόραν καὶ Ἐπιμενίδην καὶ τὰ τῶν ποιητῶν αἰνίγματα τοῖς μύθοις ἐῶμεν, ἐπὶ δὲ τοὺς φιλοσόφους τὴν γνώμην τρέψωμεν, τουτουσὶ τοὺς ἐκ Λυκείου καὶ Ἀκαδημίας τῆς καλῆς; οὐ γὰρ μυθολόγοι, οὐδ᾽ αἰνιγματώδεις, οὐδὲ τερατείαν ἀσπαζόμενοι, ἀλλ᾽ ἐν δημοτικῇ λέξει τε καὶ διανοίᾳ εἰθισμένοι. quæ Latine ita vertuntur: *Vis igitur, relicto Ariſtea, Meleſagora, & Epimenide, relictis poetarum fabulis & ænigmatis, ad philoſophos qui a Lyceo & Academiæ amœnitate nomen habent, animum convertamus? Siquidem hi nec fabulas, nec rerum verborumque obſcuritatem, neque vanitatem amant, verum ſermone populari, ſenſu aperto rem ſolent proponere.* Porro, ut Plautino proverbio utar, (1)

Qui e nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem.

&, quemadmodum ait Epicharmus,

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ᾽ ἀγαθ᾽ οἱ θεοί.

hoc eſt: *Nonniſi laborum pretio dii bona nobis vendunt.* Ingenio acri opus eſt, aſſidua meditatione, volu-

(1) *Curcul. Actu* I. *Sc.* I. *v.* 55.

voluptatum contemtu, constantia denique singulari, ut earum rerum cognitionem adipiscamur quæ cognitæ supra vulgus hominum nos extollunt, Deoque proximos reddunt: (2) *neque enim levia, aut ludicra petuntur Præmia*. Tertia obscuritatis caussa in libris Aristotelis, ad ipsos lectores pertinet; estque Græcarum litterarum ignorantia & neglectio: sine quarum adminiculo, in Aristotelicæ sapientiæ adyta penetrare velle, ejusdem insaniæ fuerit, ac si quis pennis destitutus, sola brachiorum jactatione, avium volatum imitari in animum inducat. Hinc tam multa *Scholasticorum* somnia prodiere, hominum sane acutorum, sed ab omni sæpe elegantia doctrinæ, ab omni eruditione alienissimorum: quos Græcæ Latinæque linguæ prorsus expertes, &, quod magis miremini, harum rerum inscitiam stolido quodam fastu & contracto supercilio plerumque ostentantes, illotis manibus Aristotelis philosophiam tractare non est veritum: sed hi tamen nubem pro Junone, quod olim Ixioni contigisse legimus, amplexati sunt. Ab hominibus enim semidoctis decepti, qui Aristotelis volumina e Græcis Latina facere conati fuerant, monstra opinionum summo philosopho affinxere, & pro thesauro carbones, Peripateticæ disciplinæ studiosis obtrudentes, antiquam scholæ faciem penitus invertére: quæ, nisi postremis hisce temporibus doctissimi homines ei opem tulissent, nihil jam de pristina pulchritudine, nihil de veteri majestate retinuisset. Quo fato autem fieri dicam, Auditores,

(1) *Virgil*. 12. *Æneidos* v. 764.

res, ut nonnulli qui se philosophos appellari volunt, ornamenta dicendi, easque artes omnes quæ ab humanitate nomen habent, despicatui ducentes, eruditos viros, multoque ipsis præstantiores, quasi litterariam quamdam plebeculam contemnant? si qui autem ex his carmen fortasse scribant, eos vero indignos esse censeant qui vel philosophiæ nomen pollutis labiis pronuntient? Poëtarum enim, Grammaticorum, Rhetorum, Criticorum, Historicorum, omnium denique qui mansuetiores Musas amamus, hanc esse conditionem putant quæ olim fuit procorum Homericorum, qui Penelopæ nuptias frustra petentes, quum domina potiri non possent, ancillis interea commiscebantur. Horum igitur severissimorum hominum judicio, (1) Parmenides, Empedocles, plerique Pythagoræorum e Græcis, Lucretius e Latinis, ingens flagitium commisere, quod philosophiæ decreta carminibus tradere ausi fuerint: & magno illi Galilæo, qui proavorum nostrorum temporibus floruit, succensendum est, propterea quod rerum cælestium contemplatione nonnumquam intermissa, Ludovicum Areostum in manus sumeret, ex ejusque lectione mirificam voluptatem perciperet. (2) Paucissimi sane homines, qui aliquo

(1) Vide Isaacum Casaubonum libro de Satira Romanorum cap. 5.

(2) Quintilianus Instit. Orator. lib. 5. cap. 11. *Jam sententiis quidem poetarum non orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum, qui quamquam inferiora omnia præceptis suis ac litteris credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt.*

aliquo ingenio præstarent, ac liberali doctrina tempestive exculti essent, apud quos poëtica facultas gratia non valuerit, ullis umquam sæculis exstitere: quam si qui oderunt, ii nullum fere bonarum rerum gustum habent. Sed ad propositum revertamur. Aristotelis itaque oratio Græce quidem scientibus, pura, perspicua, candida, pressa, tota denique Attica est: iccirco a Dionysio Halicarnasseo summo Rhetore, a Simplicio, a M. Tullio pleno ore laudata; cujus illa verba sunt in Academicis Quæstionibus: *Flumen orationis aureum fundens Aristoteles*. Desinant igitur ignavi homines de nimia Aristotelicorum librorum obscuritate queri: suam potius inertiam, suas delicias accusent. Vos contra, optimi ac strenui adolescentes, Græcis litteris operam date, quarum vobis in hoc celeberrimo Gymnasio excellentes magistri defuturi non sunt: harum enim lumine illustrati, & confirmati præsidio, illitteratorum hominum tumultus compescere poteritis, qui quum ipsi cæcutiant, minus lucere solem clamant.

Quæ quum ita sint, miror quid in mentem venerit nonnullis, Aristoteli, Dialecticorum omnium principi, τὴν ἀμεθόδειαν, hoc est *ordinis in docendo negligentiam*, objicere: quæ, si memini, altera est ex tribus præcipuis criminationibus, initio orationis a me propositis. Proh deûm atque hominum fidem! Aristotelem, ordinis amantissimum, in tradenda methodo facile principem, Logicæ Analyseos inventorem, a recta docendi via tam longe aberrasse! Nonne Aristoteles, pri-

usquam

usquam aliquid tractare aggrediatur, de methodo qua uti decreverit in ea re explicanda, plura verba facit? Nonne iis partitionibus utitur quæ & res ipsas obscuras multa luce circumfundant, & discendi cupidis multum adjumenti afferant? Atque in Physicis quidem eam methodum adhibuit quam Græci συνθετικὴν, Latini *compositionis* vocant. Orsus enim a principiis, partibus, caussis, summisque proprietatibus corporis naturalis (quam tractationem absolvit in libris περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, sive *de Physico auditu*) progreditur deinceps ad ea quæ ex principiis constant, ad effecta, ad ipsa corpora naturalia consideranda: simplicia primum, cælum videlicet atque elementa; tum composita e simplicium commixtione: quorum alia quidem imperfecta sunt, ut ea quæ in sublimi gignuntur, atque ideo τὰ μετέωρα vocantur, alia vero perfecta, qualia sunt metalla, & viventia omnia. In viventium autem genere, primum ea quæ ad ejusmodi animam pertinent unde stirpes atque ipsa animantia adolescunt: secundo, quæ ad sentientem: postremo, quæ ad intelligentem, mentem scilicet humanam, accuratissime persecutus est; ut nimirum in homine, perfectissimo absolutissimoque naturæ opere, cujus caussa cetera omnia comparata sunt, finem disputandi faceret. Ut enim veteri proverbio fertur, ibi Physicus desinit ubi Medicus initium sumit. Quod & Sacrarum Litterarum auctoritati consentaneum est, a quibus docemur, ut sapienter animadvertit Lactantius Divinarum Institutionum libro II. capite VIII. *hominem fuis-*

ſe ultimum Dei opus ; & ſic inductum fuiſſe in hunc mundum, quaſi in domum jam paratam & inſtructam. illius enim cauſſa facta ſunt omnia. Ethica vero diverſâ plane ratione tractat Ariſtoteles; in iis enim docendis utitur μεθόδῳ τῇ ἀναλυτικῇ, ſive *reſolutionis*, a ſummo ſcilicet bono exordium capiens, ac deinde ad ejus cauſſas, nempe virtutes, conſiderandas, & ad ejus principia, προαίρεσιν videlicet, ſive *electionem*, ac τὸ ἑκούσιον, ſeu *voluntatis libertatem*, paullatim progreſſus. In omnibus autem philoſophiæ partibus id obſervare conſuevit Ariſtoteles, ut primum proponat ea de quibus quærere ac diſputare inſtituit: tum veterum ſententias in medium afferat: deinde illas accurate examinet, ut ſi falſas invenerit, argumentis refutet; ſin autem veras deprehenderit, laudet, atque in ſuos uſus adhibeat. Poſtremo ſuam ipſe ſententiam explicat, ſtabilit, confirmat, inductione, ſyllogiſmo, auctoritate. Neque quidquam verbo tantum pronuntiat quod verbo negari poſſit: ſed, quemadmodum philoſophum decet, ubique addit momenta rationum, quibus vel ab invitis & repugnantibus aſſenſionem extorqueat. Pulcherrimum vero ejus ὄργανον ad alias diſciplinas comparandas (Logicam dico) quis umquam ſine admiratione legere potuit? cui ſimile opus nulla ætas vidit, nulla viſura eſt: quod quamvis aliqui æmulari conentur, numquam tamen paria facient; non, ſi ſe ruperint. Rhetoricorum autem libros, acerrimo ingenio maximaque cura elaboratos, & quæ de re poëtica philoſophus noſter litteris conſignavit,

vit, præclara ſane, ac omnem laudis modum prætergreſſa, in præſentia omitto; ad noſtrum enim inſtitutum minus pertinent, nec alioqui eximiis laudatoribus carent.

Venio nunc ad ultimum accuſationis caput, quo contendunt adverſarii, ab Ariſtotele falſa rerum principia ſtatuta eſſe, utpote quæ neque corporis, neque animi ſenſibus ullo modo attingi poſſint; ex quibus principiis falſas item concluſiones derivaverit: præterea totam ejus phyſicam diſciplinam rudem eſſe atque ignavam, eamque ad explicanda naturæ opera vires atque induſtriam deficere. Fateor libentiſſime, Auditores, ut vobiſcum ſincere agam, & ne viros egregios qui poſtremis hiſce temporibus phyſicam ſollertiſſime excoluere, debita laude fraudem, multa Ariſtotelem ignoraviſſe, quorum inventionem divinæ providentiæ in alias ætates differre placuit; quemadmodum & plurima ab hujus ætatis philoſophis ignorari neceſſe eſt, quæ poſterorum cognitioni ſervantur: infinitus enim eſt atque inexhauſtus rerum occultarum & admirabilium theſaurus. Fateor etiam, Ariſtotelem, quamquam excellenti admodum ingenio erat, erroribus nihilominus obnoxium fuiſſe, quos videlicet humana natura prorſus vitare non poteſt. Profecto enim, (ut pauca ex pluribus hoc loco commemorem) quod γαλαξίαν, ſive Lacteum Orbem in Cælo, μετέωρον in aëre collocatum exiſtimaverit: quem Aſtronomi diligentiſſimi, *teleſcopii* ſubſidio inſtructi, minutarum ſtellarum multitudinem confertiſſimam eſſe deprehenderunt: quod Cometas Luna

inferiores arbitratus fuerit, eosque in suprema regione aëris ex igneis exhalationibus generari docuerit: quod nervos in animalibus originem ducere a corde, & ipse crediderit, & alios persuasum habere voluerit; errata sunt adeo manifesta, adeo gravia, ut nullo pacto excusari posse videantur. Nisi forte aliquis in summum illum animi ardorem culpam omnem conferre velit, quo Aristoteles concitatus, quæcumque ad philosophiam pertinerent, suis voluminibus complexus est: quod recte, ac pro rei dignitate præstare, ne unius quidem sæculi, nedum hominis, est: oportet enim antea rerum singularum φαινόμενα quæ vocantur, accuratissime considerare, omniumque effectuum naturalium sæpius ac diutius periculum facere; ac demum, experimentis undique collectis, justum atque absolutum doctrinæ corpus conficere, quod non fallacibus conjecturis, at certo incorruptorum atque integrorum sensuum testimonio nitatur. Et sane in eo maxime deceptus est Aristoteles, quod putaverit, suo tempore philosophiam tam longe provectam esse, ut vix ultra provehi posset. De qua philosophi nostri opinione ita Cicero Quæstione tertia Tusculana: *Aristoteles veteres philosophos accusans, qui existimavissent, philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse: sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore*. Hunc autem Ciceronis locum exscribit Lactantius libro II. Divinarum Institutionum, capite XXVIII. Quanto L. Seneca sapientius!

tius! cujus verba e capite XXXI. libri VII. Naturalium Quæſtionum petita, quod elegantiſſima ſint, & ad rem mirifice pertineant, non poſſum facere quin hoc loco recitem. Ait igitur ſummus philoſophus: *Quam multa animalia hoc primum cognovimus ſæculo! & quidem multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris quum memoria noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur: Eleuſis ſervat quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura, ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: in veſtibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiſcue, nec omnibus patent: reducta, & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet. Quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur? Tarde magna proveniunt, utique ſi labor ceſſat.* & rurſus in calce libri: *Philoſophiæ nulla cura eſt. Itaque adeo nihil invenitur ex his quæ parum inveſtigata antiqui reliquerunt, ut multa quæ inventa erant obliterentur. At mehercules ſi hoc totis membris premeremus, ſi in hoc juventus ſobria incumberet, hoc majores docerent, hoc minores addiſcerent, vix ad fundum veniretur, in quo veritas poſita eſt: quam nunc in ſumma terra & levi manu quærimus.* Num tamen, propter nonnulla quæ peccavit Ariſtoteles, vel propter multa quæ neſcivit, ab ejus voluminum lectione abſtinendum? quum in iis alioqui vera plurima contineantur, plurima utilia, plurima quæ recentiorum ingeniis facem quodammodo prætulere, ut

longius in philoſophiæ ſtudiis progrederentur. Quæ, malum, impietas eſt, doctiſſimos homines, quorum opera & laboribus profeceris, contemnere, irridere, calumniari, ac tandem nihili facere? An putatis, Auditores, tantos progreſſus in phyſicis habiturum fuiſſe Carteſium, niſi antiquorum inventis uti potuiſſet, Platonis præcipue, Ariſtotelis, & Divi Auguſtini? Quid porro affert Petrus Gaſſendus quod non a Leucippo, Democrito, Epicuro, Lucretio, aliiſque id genus philoſophis mutuatus fuerit? Eſſetne campus in quo ipſe exſultare poſſet, niſi pluribus ante ſæculis inventi fuiſſent qui ad explicanda naturæ opera abuterentur atomorum regno & licentia? Eudoxum tolle, Hipparchum, Philolaum, Claudium Ptolemæum, Alphonſum Caſtiliæ regem; qui Herculeis plane laboribus

(1) *Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,*
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo;

jam & Copernicum tolles, & Tychonem, & Galilæum, & Keplerum, & Caſſinum, & quantum eſt Aſtronomorum; quos omnes veterum illorum præceptis, immo & peccatis debemus. Ita Pythagoras, Euclides, Archimedes, Apollonius, Pappus, in erudito illo pulvere diu multumque verſati, & de formis, lineamentis, intervallis, magnitudinibus tota fere vita diſputantes, ea excellentium ingeniorum monumenta reliquerunt, quæ longiſſimo poſt tempore Leibnitium, Bernoullium, & ſæculi noſtri μέγα θαῦμα Iſaacum Newtonum ad virtutis imitationem excitarunt.

Qui-

(1) *Ovidius lib.* 1. *Faſt. v.* 305.

Quicumque enim tentando & periclitando, novas artes invenerunt, atque inventis, hominum vitæ profuerunt, quamvis haud raro in errores inciderint, memoria tamen sempiterna dignissimi sunt: duces enim & signiferos meliora & certiora excogitandi posterorum industriæ se præbuerunt. Nemo sane, nisi præceps in judicando, probare possit Leonardi Capuensis de Galilæo judicium: quem unum censet satis esse ad omnem omnino antiquitatem de gloriæ possessione deturbandam. Ego contra existimo, quemadmodum arboris pulchritudine ac proceritate, seminis laus augetur, ita recentiorum studiis & cogitatis, (1) majorum gloriam quotidie propagari.

Quod vero nonnulli clamant, ea rerum principia Aristotelem posuisse quæ neque cerni oculis, neque intimo sensu comprehendi possint, in eo, ut mihi quidem videntur, absurdi sunt. Id enim homini vitio vertunt quod contra maxime laudari merebatur. Vidit enim acutissime Aristoteles, ea quæ sensu percipiuntur, & quorum imagines animo formare possumus, a principiorum natura quam longissime abhorrere: sunt enim omnia composita & concreta ex aliorum commixtione: principia vero summe simplicia esse oportet: si enim ex aliis apta sint prioribus, jam prima

(1) Plinius Histor. Nat. lib. 2. cap. 13. *In quibus aliter multa quam priores tradituri, fatemur ea quoque illorum esse muneris qui primi quærendi vias demonstraverint: modo ne quis desperet sæcula proficere semper.*

principia non erunt. Præterea principia, interitus expertia esse debent, ne scilicet rerum semina umquam deficiant: quæ vero sub sensum cadunt, ea continenter labuntur, & fluunt omnia. siquidem, ut sapientissime ait D. Paulus Epistola II. ad Corinthios, cap. IV. τὰ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια. id est: *Quæ videntur, ad tempus durant, quæ vero non videntur, æterna sunt. Magni autem ingenii est revocare mentem a sensibus, & cogitationem a consuetudine abducere;* ut ait Cicero Tusculanarum Quæstionum lib. I. & quemadmodum Plato in Theæteto scribit: Α᾽μύητοι εἰσὶν οἱ ὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι, ἢ ὃ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ τοῖν χεροῖν λαβέσθαι. *Profani sunt, qui nihil aliud esse existimant nisi illud quod manibus palpare ac prehendere possunt.* Quapropter Pythagoras ille Samius, vitæ innocentia, & scientiæ magnitudine præstantissimus, teste Ovidio, libro XV. Metamorph. v. LXII.

-- -- -- -- -- licet cœli regione remotos
Mente deos adiit: & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Non placent quibusdam ab Aristotele posita principia: Democriti atomi potius arrident, aut triplex illa a Renato Cartesio ingeniose excogitata materia. Sed, pace dicam tantorum virorum, si hujusmodi principia probaverimus, non tamen Aristotelis de principiis doctrinam continuo evertemus: verum, ne probemus, multa impedimento sunt. Quis enim illa Democriti atque Epicuri corpuscula, partibus quidem prædita, sed nihilominus divisionis expertia, umquam intellexit?

quis

quis vero non videt, triplicem illam Cartesii materiam, elegans esse commentum, cui nihil tamen solidi subsit, nihil explorati? res tota in levi quadam conjectura posita est, ad quam postea, vel invitæ, naturæ leges accommodantur: quum contra, singulorum hominum cogitationes ad ipsas naturæ leges corrigi atque accommodari oportuisset. Hoc igitur præstant principia ab Aristotele posita, reliquorum philosophorum principiis; quod Aristotelis principia labefactari nullo modo possint, reliquorum vero facillime. Quod etiam de occultis quibusdam rerum qualitatibus intelligi velim, ad quas confugere Aristotelem, cavillantur, quum rei naturam explicare nescit. Sapienter id quidem fit a philosopho: hominis enim prudentis est, a rebus incertis assensionem sæpius cohibere, neque incognita pro cognitis venditare. Laudanda profecto doctorum virorum sollertia qui veritatem assidue investigant, & quodammodo venantur: sed neque illorum reprehendenda cautio qui quum omnia attente ac diligenter circumspexerint, id se demum fateantur nescire quod nesciant. Sed plerique, dummodo nova proferant, atque ad hanc diem inaudita, de ipsorum veritate non valde solliciti sunt: putant enim, hominis esse ad servitutem nati, alieno tantum ingenio sapere, ac, tamquam in schola pueros, magistri dictata recitare. Hinc superbissimum oritur antiquitatis fastidium; ut quidam se malint concinni alicujus erroris architectos perhiberi, quam cum veteribus philosophis recta & vera sentire. Quod illis pulchre succedere

dere videmus; quum enim rerum plurimarum veritas ab iis qui ante nos vixere, jamdiu fuerit occupata; haud raro contingit, ut nimio novitatis amore abrepti homines, in fraudem atque errores inducantur. Multæ igitur ſententiæ quotidie prodeunt quas magno ſæpe plauſu excipi videmus: at brevi tempore conſeneſcunt adeo ac dilabuntur, ut vix ullum ſui veſtigium relinquant. Quemadmodum enim adoleſcentibus qui parentes minus reverentur, merito accidere ſolet, ut quum ipſi liberos ſuſceperint, ab iis viciſſim contemnantur; eodem pacto, qui in antiquos philoſophos, a quibus tot præclara accepere, injurioſi & contumelioſi ſunt, poſteritatis judicio plerumque puniuntur.

Si quis igitur veſtrûm, optimi juvenes, a me quæſiverit, quo loco veteres philoſophos, quo recentiores habere debeat, auctor illi fuerim, ut (1) *Nullius addictus jurare in verba magiſtri*, unam veritatem ſequatur; neque ita miretur antiquos, ut noſtrorum temporum doctiſſimos viros deſpiciat, quorum ſunt in phyſicam merita immortalia; neque rurſum recentiorum ingeniis ita aduletur, ut naturam tarditatis accuſet, quaſi nunc primum homines formare didicerit, ad hoc vero tempus umbras tantummodo ac ſimulacra hominum, ut ita dicam, genuerit. Sed, quoniam *antiquitas quo propius aberat ab ortu & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe quæ erant vera, cernebat*, (M. Tullii verbis utor, ex prima Tuſculana) ſi reverentia aut credulitate nimia ali-

(1) *Horatius Epiſt.* 1. *lib.* 1. *v.* 14.

aliquando peccandum est, a partibus antiquorum stare potius convenit, quam novis in dies erroribus immisceri. Hoc etenim deterior est novus error antiquo, quod quum corrigendi vetera spem ostenderit, nos iterum fallat, & iis qui a majorum præceptis discedere noluerint, irridendos præbeat. Nec tamen id tanta religione servari oportere censeo, quanta olim a Locrensibus antiqua instituta retinebantur. Apud eos enim mos ille invaluerat, immo Zaleuci lege cautum erat, ut si quis receptam disciplinam ulla ex parte mutare vellet, aut novam aliquam legem suadere, id non aliter ei facere liceret quam si collum in laqueum induisset, ut nisi ea lex utilis inventa esset, aut nisi populo probaretur, illico ejus auctori fauces eliderentur. Minoris longe periculi res est, a nonnullis veterum philosophorum opinionibus in alia omnia abire, quam leges ad salutem civium conditas, diuturnoque tempore confirmatas, temere, ac pro libidine abolere. Usurpandum igitur sæpius illud Aristotelis: *Amicus Plato, amicus Socrates, at magis amica veritas.* ita etiam: amicus Aristoteles, amicus Cartesius, amicus Gassendus, at magis amica veritas. Fuerunt hi, fateor, doctissimi homines, admirabili ingenio præditi, dignissimi sane quibus multum, immo plurimum deferamus: homines tamen, & propterea humani aliquid interdum passi. Aurea sunt in hanc rem verba Lactantii, libro VII. cap. VII. Divin. Instit. *Incredibilis est*, inquit, *error illorum qui quum aliquam sectam probaverint, eique se addixerint, ceteras damnant*

mnant tamquam falsas & inanes, armantque se ad prœliandum, nec, quid defendere debeant, scientes, nec, quid refutare, incursantque passim sine delectu omnia quæ adferunt quicumque dissentiunt. Ob has eorum pertinacissimas contentiones nulla exstitit philosophia quæ ad verum propius accederet. nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Ab omnibus igitur philosophis aliquid veri prolatum fuit: ii propterea laudandi qui ut unam conficiant doctrinæ summam erroribus quammaxime expertem, e singulis excerpunt ea quæ probabiliora videantur. Tanta porro est naturæ obscuritas, tantæ sensuum & mentis angustiæ, ut de Physicis jure optimo dici possit quod olim de mimis (1) Laberius pronuntiavit:

Non possunt primi esse omnes omni in tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Consistes ægre; & quam descendas, decides.
Cecidi ego: cadet qui sequitur, laus est publica.

Igitur, studiosi adolescentes, mores qui philosophum deceant, cupide arripite, candidos nimirum, atque ab omni pertinacia, invidia, dicacitate, obtrectandi libidine alienos; & Aristotelis dogmata, dum sine cortice natare olim possitis, & vestro judicio uti, interea cognoscite. Cujus Librum primum Physicorum, proxima schola interpretari incipiemus.

(1) *Apud Macrobium Saturn. lib. 2. cap. 7.*



ΣΥ'Ν-



ΣΥΝΤΑΓΜΑ

De veteribus Philoſophis libro I. Phyſicorum ab Ariſtotele memoratis; in quo ſingulorum ſententiæ de rerum naturalium principiis breviter & ſummatim exponuntur; ad uſum ſtudioſæ juventutis.

DE PARMENIDE.



ARMENIDES patria Eleates, Pyretis filius, ut certe memoriæ prodidit Diogenes Laërtius lib. IX. cap. XXI. de vitis eorum qui in philoſophia claruerunt, Xenophanem audivit. Ab ipſo autem profectus eſt Zeno Eleates, quem Dialecticæ inventorem ferunt; ejuſque rationem philoſophandi, pauciſſimis immutatis, omnino probavit. Plato in eo Dialogo quem *Parmenidem* inſcripſit, refert, ab hoc philoſopho unum rerum naturalium principium poſitum eſſe, quod neque prorſus infinitum eſſet, neque finitum. Duplices enim ἰδέας ſive *cauſſas* inducebat: unam ἀρχηγὸν καὶ πρώτην, *principem & primam* ſcilicet, alias ἐν φύσει ἑστώσας, id eſt *quæ in natura continerentur:* ac propterea

variis

variis eas notis insigniebat; primam siquidem infinitam statuebat, secundas finitas. Infinitam illam vocabat ceterarum opificem & conservatricem; præterea ἀσχημάτιστον, *nulla figura præditam;* ἀκίνητον, *immobilem;* χρόνου μὴ μετέχουσαν, *temporis expertem;* οὐδ' ἐν χρόνῳ τὸ παράπαν οὖσαν, *quæque nullo modo in tempore esset;* ἀμέθεκτον, *quæ communicari minime possit;* γενέσεως καὶ οὐσίας αἰτίαν, *generationis & substantiæ caussam;* denique ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα νενεμημένην, *in omnia quæ sint, distributam.* Quibus omnibus certissimis atque illustribus notis Deum Opt. Max. a Parmenide quodammodo significari, luce meridiana clarius est. At præter illam principem caussam, secundas quoque ἰδέας, sive caussas, sive naturas, ponebat Parmenides, ex quibus & per quas fiat id omne quod in hac rerum universitate fit, ac proinde in quibus ipsa τὰ καθέκαστα, id est *singulæ res*, proxime conserventur. Illas vero caussas ajebat esse πεπερασμένας, certis nimirum classibus distinctas atque *definitas;* & in rerum etiam singularum effectione περατοειδεῖς, nempe *terminata specie*, & ἐσχηματισμένας, i. e. *figura præditas*. Præterea, illas οὐσίας esse, nempe *substantias;* &, quatenus in suis *individuis*, quæ vocant, quotidie quasi nascantur, & in iisdem quodammodo intereant, ἐν χρόνῳ εἶναι, *esse in tempore*, docebat. Revocabat autem ad principem illam caussam secundas omnes caussas, & ipsarum fœtus, nempe res singulas generationi & corruptioni obnoxias: quod enim multa esse in rerum natura videantur, eo accidere dicebat, quod nostro-

rum

rum ſenſuum fallaciſſimum ſit judicium: rem quamlibet autem conſiſtere & cognoſci ope illius cauſſæ qua vere eſt quidquid eſt: in qua ſcilicet, & per quam ſint omnia. Ita Parmenides naturam & naturæ principia cum Deo confundebat, & ſibi ipſe adverſabatur: quandoquidem cauſſas naturales antea faſſus erat, quæ a prima illa reapſe diſtinguerentur. Opificem igitur cum opificio commiſcebat, & cauſſarum ἀταξίαν, id eſt *rectum ordinem*, perturbabat; quod philoſopho maxime indecorum eſt. Et certe in phyſico argumento adhibere *metaphyſicas* rationes, μεταβαίνειν eſt εἰς ἄλλο γένος, quemadmodum Græci loquuntur, hoc eſt *a genere in aliud genus tranſire*, atque, ut proverbio fertur, in alienam meſſem falcem mittere. Debent enim ſingulæ artes, diſciplinæ, ac ſcientiæ ſuis & domeſticis, non aliunde quæſitis, principiis uti. Propter hanc igitur ἀταξίαν, ſive *ordinis perturbationem*, jure reprehenſus eſt Parmenides a ſummis philoſophis Platone atque Ariſtotele: qui etiam in illo improbavere, quod ὄντος, & ἑνὸς, *entis* nimirum, & *unius* nomina confunderet, tamquam ſi *unum* tantummodo eſſet *entis* genus, quum omnino plura ſint: falſumque ſit, in natura, tantummodo eſſe unum quiddam immobile, & præter id nihil aliud: quum contra natura in perpetuo quodam motu verſetur, rerumque multitudinem & ſenſibus, & animo facile admodum percipiamus. Ceterum quamvis Parmenides *unum* tantum *ens*, idque immobile, κατὰ λόγον, hoc eſt *ſecundum rationem*, inveniri dixiſſet; ne tamen rerum ſingu-

larum

larum varietatem inficiari ac tollere cogeretur, quod vecordis hominis atque insani fuisset; sensuum judicio convictus, duo tandem rerum principia, eaque κατ' αἴσθησιν, nempe *secundum sensum*, induxit: quæ calidum, & frigidum esse voluit; teste Aristotele cap. VI. lib. I. Physicorum, ubi docet, veteres omnes philosophos principia contraria posuisse.

De Melisso.

Melissus Samius fuit, Ithagenis filius, discipulus Parmenidis, cum Heraclito etiam familiariter versatus, eo potissimum tempore quo ita de illo male sentiebant Ephesii, ut olim de Democrito Abderitæ, quem impium videlicet ac delirum esse opinabantur. Fuit vir in republica gerenda eximius, & magnæ apud cives suos auctoritatis, qui eum classi præfecere, & ob virtutem summopere coluere. Floruit, si Apollodoro fidem habemus, olympiade LXXXIV. Hic, Parmenidis vestigiis insistens, docuit, principium rerum unum esse, immobile, atque infinitum. unum hoc esse omnia. Melissi porro argumentationem, qua id efficere conatur, in Commentarios suos retulit Simplicius, celeberrimus Physicorum Aristotelis interpres. Hujusmodi autem est. *Si nihilum esset, de hoc affirmari aliquid posset, tamquam de ente aliquo.* id est, ut ego quidem interpretor: Nihili nulla natura est: nam si nihilum esse, dicere possemus, jam de ipso nihilo ita loqueremur ut de aliquo *ente*: quæ in-

ter

ter se maxime repugnant. *Sed si aliquid est*, ait Melissus, *aut genitum id est, aut sempiternum. Porro si genitum est, aut ex ente genitum est, aut ex non ente. Atqui neutrum dici potest. Etenim ex non ente res ulla gigni non potest, nedum rerum universitas, sive τὸ πᾶν. Neque ex ente id quod est, gigni potest: nam alioqui esset antequam gigneretur. Genitum itaque non est id quod est: quamobrem semper est, neque interibit. Nam neque in non ens mutari potest id quod est:* quæ omnium omnino veterum Physicorum sententia fuit: *neque in ens, quandoquidem rursus maneret, neque interiret. Igitur id quod est, neque genitum aliquando est, neque umquam interibit. Quapropter semper fuit, semperque erit. At quum id quod est genitum, principium habeat; profecto id quod numquam genitum est, principio caret. Id autem quod est, genitum non est; principio itaque caret. Præterea, quod interit, finem habet: si igitur aliquid non interit, & corruptionis est expers, finem non habebit. Id igitur quod est, quum sit corruptionis expers, finem non habet. Quod vero principio, & fine caret, infinitum est. Id igitur quod est, infinitum est. At si infinitum est, unum est. Nam si duo essent, infinita esse non possent, sed terminis inter se definirentur. Infinitum autem est id quod est; entia igitur plura non sunt. At si unum est id quod est, immobile etiam est; quandoquidem quod unum est, sibi semper simile est. Quod vero sibi simile est, neque interire, neque majus fieri potest, neque item dolet, aut mærore aliquo afficitur. Nam si mærore afficiatur, aut laboret, unum*

H *non*

non erit; ſiquidem quod motu aliquo cietur, ex alio ſemper mutatur in aliud. Nihil autem aliud eſt præter id quod eſt. quare hoc haudquaquam movebitur. Quod alio etiam modo manifeſtum fieri poteſt. Ejus quod eſt, vacuum nihil eſt, quandoquidem vacuum nihil eſt. Id igitur quod eſt, moveri non poteſt. Vacuo enim, ſive inani, e natura ſublato, id quod eſt non habet quo procedat. Sed neque in ſe comprimi poteſt: alioqui, ſeipſo & rarius eſſet & denſius; quod affirmari non poteſt, jam enim non eſſet unum. Immo vero, quo denſius eſſet ipſum ens, hoc magis vacuum eſſet: vacuum autem nihil eſt. Si igitur vacuum non eſt, neceſſe eſt plenum eſſe. quamobrem id quod eſt, non movetur. Hactenus Meliſſus. Cujus rationem magis importunam, captioſique argumenti ſimilem vocat Ariſtoteles, quam rationem Parmenidis. Falſa enim ſumit, neque concludit; quemadmodum & ratio Parmenidis: at præterea vitiis magis evidentibus laborat. Porro idem Ariſtoteles Parmenidem ac Meliſſum e grege Phyſicorum exemit, quod ſcilicet in phyſico argumento rationibus e prima philoſophia petitis nimium abuſi eſſent, atque unum *ens* immobile ſtatuiſſent, contra quam a Phyſicis factum ſit, qui omnes unum aut plura principia mobilia & mutabilia invexere. Iccirco autem hi philoſophi tam acriter & copioſe ab Ariſtotele reprehenſi & confutati ſunt, ut videre eſt capp. II. III. & IV. libri I. Phyſicorum; quod is nimirum obſcuritatem verborum & ſententiarum, quam illi adamaverant, ferre non poſſet: velletque docere, propriis & perſpicuis verbis tradendam

dam

dam esse philosophiam, ut auditores lectoresque, magistri sententiam facile assequantur, neque in ea intelligenda aut explicanda frustra laborent. Non certe, quod putaret, summos illos viros tam longe a communi sensu abhorruisse, ut opinarentur, nullam esse omnino rerum dissimilitudinem: nec rursus, quod illis ridicula atque inepta dogmata vellet affingere, ut scilicet iis refellendis gloriolam sibi compararet: quod turpe quidem ac sceleri affine fuisset. Ab ænigmatis igitur abstinendum est; neque sophistarum quorumdam consuetudo imitanda, qui præstigias & fallacias artis suæ, verborum lenocinio commendant, ut majorem ipsis reverentiam apud imperitos concilient: ac, tamquam atramento sepiæ, sic ambagibus & fabularum velamine semper obvoluti sunt. Nimirum dictitant, non esse naturæ mysteria temere in vulgus prodenda, sed potius, tamquam Eleusinia sacra, caute ac religiose occultanda. Sed qui sapiunt, rem unamquamque suo nomine appellare amant, & si quid ipsi assidua meditatione veri extuderunt, non id ceteris hominibus maligne invident, vel apud se continendo, vel ambiguis obscurisque vocabulis significando; verum liberalissimum illum omnis boni largitorem Deum Optimum Maximum imitati, cum studiosis communicant, atque in publicum proferunt. Stultorum contra est, vel inepte gloriosorum, ea loqui, aut monumentis litterarum mandare, quæ intelligi nolint:

Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt;

Veraque constituunt quæ belle tangere possunt
Aures, & lepido quæ sunt fucata sonore;

ut sapienter ait (1) Lucretius. Quod vitium si Parmenides ac Melissus declinare voluissent, & Aristotelis censuram effugissent, & commodiore fama uterentur, & melius profecto de posteritate meriti essent.

De Diogene Apolloniate, atque Anaximene.

Diogeni Apolloniati, & Anaximeni visum est, infinitum aërem omnium rerum esse principium. Horum prior patrem habuit Apollothemidem, & valde claruit in physicis. Anaximenem audivit: floruit iisdem temporibus quibus & Anaxagoras. Hæc autem sunt ejus præcipua dogmata. Unicum elementum, ex quo fiant omnia, esse aërem: infinitos esse mundos, & infinitum inane: hos autem mundos ex aëre coacervato & exsiccato generari. Nihil ex nihilo fieri, neque in nihilum reverti posse. Terram rotunda figura præditam, & utrimque acutam, in media universi regione sitam esse, quæ & ardoris conversione, & frigoris concretione consistat. Hujus philosophi meminit Aristoteles libro I. Metaphysicorum, cap. III. item lib. III. Historiæ animalium, cap. III. ubi ejus sententiam affert de venarum origine atque progressu. Constat autem, illum & medicinam fecisse.

Anaximenes, Diogenis Apolloniatæ magister, Milesius fuit, sodalis, discipulus, & successor Anaxi-

(1) *Lib. I. de Rerum Natura, v. 642.*

naximandri. Floruit, Eusebio teste in Chronico, olympiadis LVI. anno II. Hic quoque principium rerum universarum aërem esse statuit, ex quo nimirum omnia nascantur, & in quem corrupta redeant. Ita nihil aliud esse animam nostram, quam aërem a quo temperemur: totumque mundum spiritu & aëre contineri. esse enim *spiritum* & *aerem* duo nomina rem eamdem prorsus significantia. Docebat præterea, aërem deum esse, immensum & infinitum; & tamen gigni, semperque in motu versari. Ea vero quæ ex aëre, tamquam ex elemento, oriantur, definita esse: generari autem terram, aquam, ignem, tamquam secunda elementa; tum ex his reliqua omnia. Multa præterea feruntur ejus dogmata, quæ quod ad hanc de rerum principiis tractationem minus pertineant, iccirco a me prætermittuntur.

De Thalete.

Ut autem isti quos adhuc memoravi, infinitum aërem principium rerum posuere; ita Milesius Thales infinitam aquam. Hic philosophorum antiquissimus apud Græcos fuit, eaque ætate floruit qua *philosophi* & *philosophiæ* nomen nondum fando auditum erat: sed qui rerum sublimium contemplationi vacabant, *sapientes* appellabantur. Mileti natus est, vel certe a Milesiis civitate donatus; quod nonnulli tradidere. Familia ejus apud Phœnices perantiqua fuit, utpote quæ ad Cadmum & Agenorem stirpis auctores referretur. Hujus dogma celeberrimum fuit, Omnium cor-

porum quæ natura conſtant, aquam primum eſſe principium: ad quod dogma ſtabiliendum his fere argumentis utebatur. Quum ſemen, ex quo, tamquam ex proximo principio, omnia oriuntur animalia, humidum ſit, probabile item eſſe, res alias omnes ex humore originem ducere. Deinde; quia ſtirpium omnium alimentum humor eſt, qui fœcunditatem ipſis largitur, & quo illæ deſtitutæ, areſcunt atque intereunt. Præterea; quoniam ipſe Solis ſtellarumque ignis, aquæ exhalationibus nutriatur, ipſeque adeo mundus. Quam Thaletis doctrinam Pindaro Lyricorum principi placuiſſe crediderim, quum ita primam Olympiorum ſuorum Oden exorſus fuerit: *Ἄριστον μὲν ὕδωρ: Optima quidem eſt aqua.* meæque ſententiæ ſuffragatur ejus poëtæ vetus Scholiaſtes ad illum locum. Hujus autem opinionis veſtigia reperiuntur etiam apud Homerum, & Heſiodum, antiquiſſimos poëtarum; ut Plutarchus animadvertit in Opuſculo quod inſcripſit, *Ignis an aqua utilior*. Scholiaſtes vero Apollonii Rhodii ad librum quartum Argonauticon ejus poëtæ, verſu DCLXXVI. Zenonis philoſophi teſtimonio allato, affirmat, Chaos, ex quo, Heſiodo teſte, omnia facta fuerint, aquam fuiſſe, quæ paullatim ſubſidens, in lutum abierit, quod poſtea denſius effectum ſolidam terram procreaverit. Hanc vero doctrinam veteres illi e Græcia philoſophi a Phœnicibus accepere, cum quibus ab heroicis uſque temporibus commercium Græcis fuit. Non abs re igitur Numenius, ex antiquorum numero philoſophus, ut Porphyrius tradit in libello de antro Nympha-

pharum, pro hac ſententia Divinorum Librorum auctoritatem afferebat, (1) in quibus dicitur, Dei Spiritum in aquarum ſuperficie curſitaſſe, ut ipſis nimirum calorem & motum impertiretur. E plurimis autem quæ de Thaletis ſapientia feruntur, illud in fabulis numerandum crediderim, quod Plutarchus narrat in Convivio ſeptem ſapientium; Periandro videlicet, Corinthiorum tyranno, oblatum quondam fuiſſe monſtrum, equa natum, capite equino, reliquis membris humanorum ſimilibus. Quum autem rei novitate Periander vehementer commotus eſſet, acceſſiſſe ad eum Thaletem Mileſium, monuiſſeque, non expiationibus aut ſacrificiis deos immortales placandos, ob ea mala quæ monſtrum portendere videretur; ſed potius providendum, ne deinceps aliis equiſonibus Periander uteretur quam qui matrimonio juncti eſſent. Conjeciſſe enim Thaletem, cælibes juvenes, curando armento præfectos, quum furorem libidinis ſuſtinere non poſſent, equas ipſas inire ſolitos, ex eoque immani ac nefando congreſſu monſtrum illud biforme prodiiſſe. Rem huic plane ſimilem litteris mandavit Phædrus, Auguſti libertus, Fabula III. libri III. quæ hujuſmodi eſt:

Uſu peritus hariolo velocior
Vulgo eſſe fertur: cauſſa ſed non dicitur.
Noteſcet quæ nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. monſtro exterritus,
Ad conſulendos currit mœrens hariolos.

 Hic

(1) *Geneſeos cap. I.*

Hic pertinere ad domini respondet caput,
Et avertendum victima periculum:
Ille autem affirmat conjugem esse adulteram,
Et insitivos significari liberos:
Sed expiari posse majori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis;
Hominisque curam cura majore aggravant.
Æsopus ibi stans, naris emunctæ senex,
Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, Rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

Uxoribus nimirum acceptis futurum erat ut ab ejusmodi ἀσελγείᾳ in posterum abstinerent. Hujus porro fabellæ veram sententiam viri docti qui elegantissimum scriptorem explicandum suscepere, videntur aut minus assecuti, aut, fortasse pudoris gratia, obscurius interpretati.

De Heraclito.

Heraclitus patria Ephesius, Blysonis filius fuit. Floruisse fertur olympiade LXIX. Darii Hystaspis temporibus. Xenophanem audivit; quamvis se nihil magistris debere, omniaque a se ipso didicisse professus fuerit. Hunc Aristonymus quidam apud Joannem Stobæum Sermone XXI. non inscite ait adolescentem virorum sapientissimum fuisse; quod videlicet se nihil scire, ingenue ac pudenter fateretur; quum autem ad virilem ætatem pervenisset, stultissimum; quod jam nihil se ignorare affirmaret. Ignem omnium rerum principium, seu commune elementum, esse docuit.

Fini-

Finitam vero esse hanc rerum universitatem, eamque ex igne oriri, ac rursus, per quædam temporum intervalla, in ignem redire: idque fato fieri. Ex his autem quæ contraria sint, id quidem quod generationem efficiat, Bellum vocari & Contentionem: quod contra, ἐκπύρωσιν, seu mundi *exustionem*, efficiat, Concordiam & Pacem appellari. Quam Heracliti sententiam Dantes Etruscus poëta, ut illa ferebant tempora, disciplinis omnibus eruditus, his versibus attigisse videtur: (1)

Da tutte parti l' alta valle feda
Tremò sì, ch' i' pensai che l' universo
Sentisse amor, per lo quale, è chi creda
Più volte 'l mondo in Caos converso.

Quamvis Empedocles quoque de Concordia & Contentione fere similia senserit, ut postea dicemus, quum ad ipsum ventum fuerit. Porro, ob continentem mutationem in qua omnia perpetuo versentur, rem nullam magis esse quam ejus contrarium, Heraclitus ajebat; atque ita simul esse ac non esse: quod primo maximeque communi principio recta adversatur. Quæ tamen conclusio Heracliti, si sensuum judicium spectes, vera quodammodo esse videtur: sensus enim, caducarum & mortalium rerum naturas tantum attingunt, quæ semper labuntur & fluunt: neque universales rerum ἰδέας, quæ, si Platonem audimus, æternæ sunt, ullo modo contemplantur. Illas autem contemplari proprium munus rationis est. Quod pulchre explicat Cicero lib. I. Acade-

(1) *Inferni Cantu* 12.

cademicarum Quæſtionum ad M. Varronem, ubi veterum Academicorum decreta recenſet, his verbis: *Mentem volebant rerum eſſe judicem: ſolam cenſebant idoneam cui crederetur; quia ſola cerneret id quod ſemper eſſet ſimplex & uniuſmodi, & tale quale eſſet. Hanc illi ἰδέαν appellabant, jam a Platone ita nominatam: nos recte ſpeciem poſſumus dicere. Senſus autem omnes hebetes & tardos eſſe arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas quæ ſubjectæ ſenſibus viderentur; quæ eſſent aut ita parvæ, ut ſub ſenſum cadere non poſſent, aut ita mobiles & concitatæ, ut nihil umquam unum eſſet conſtans, ne idem quidem; quia continenter laberentur & fluerent omnia*. Ceterum Heraclitus data opera, verborum & ſententiarum obſcuritatem quæſivit: ut propterea σκοτεινὸς a Græcis, *tenebricoſus* nempe, vocatus fuerit. Illius etiam ſcripta ea ænigmatum caligine obvoluta fuere, ut non ſolum grammatici, ſed & philoſophi acutiſſimi, in eorum explicatione fruſtra laborarent: quod colligimus e Sexti Empirici libro primo adverſus Mathematicos, & ex Ariſtotelis noſtri Rhetoricorum libro III. capite V. Quam obſcuritatem illi vitio vertit etiam Lucretius Carus libro I. de Rerum Natura, hoc pacto:

Quapropter qui materiem rerum eſſe putarunt
Ignem, atque ex igni ſummam conſiſtere ſolo,
Magnopere a vera lapſi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux prœlia primus,
Clarus ob obſcuram linguam magis inter inanes,
Quamde graves inter Grajos, qui vera requirunt.

Huic Heracliti ſententiæ de perenni rerum mutatio-

tatione valde affinis fuit illa Gorgiæ, cujus mentionem facit Ariſtoteles in libello quem de ejus philoſophi placitis conſcripſit. Ajebat enim Gorgias, vel nihil omnino eſſe; vel ſi aliquid eſſet, illud eſſe incognitum; vel ſi aliquid cognoſceretur, id explicari ac declarari nullo modo poſſe. Quæ quidem acrium ingeniorum deliramenta, inſaniæ ac deſperationi, quam ſapientiæ, propiora mihi videntur.

De Anaximandro.

Anaximander Mileſius fuit, Praxiadæ filius; popularis, ſodalis, itemque diſcipulus Thaletis. Natus eſt olympiadis XLII. anno III. Polycratiſque Samiorum tyranni temporibus magnam apud Græcos auctoritatem adeptus eſt. Ionicam ſectam propagavit; quæ ita vocata eſt, quod Thales primus ejus auctor, ex Ionia fuerit, in qua regione Miletus erat, utriuſque patria. Geometriam ante alios omnes docuiſſe traditur, tabulaſque ad Geographiam pertinentes inveniſſe. Obliquum Zodiaci ambitum primus deprehendit: quo præclaro invento dictus eſt a Plinio Hiſtoriæ Naturalis libro II. capite VI. *rerum fores aperuiſſe.* omnis enim mundi temperatio, plantarumque & animalium ortus atque incrementum, ex obliqua Solis per Zodiacum converſione pendere videtur. Gnomonem reperit, ſive ſtylum ad horas deſignandas, ipſumque Lacedæmone in ſolariis fixit. Primus æquinoctia, & ſolſtitia notavit, & horologia commentus eſt. ὡροσκοπεῖα quo-

que confecit, quæ tropicos & æquinoctia indicarent. Ejus auditores Anaximenes & Parmenides fuere. Utrum vero Anaximander medium aliquod inter elementa, nempe igne densius atque aëre rarius, vel aëre densius & aqua rarius, tamquam rem contrariis subjectam posuerit, quemadmodum de ipso tradere videtur Aristoteles libro III. de Cælo; an vero mixtum quoddam corpus, ut legimus libro XII. Metaphysicorum, incertum est. Hoc tamen veritati propius crediderim, quum & Anaximander in iis numeretur qui ex uno reliqua generari docent, contrariorum quæ in eo insunt, secretione.

De Empedocle, atque Anaxagora.

Empedocles Agrigenti natus est, quæ nobilissima fuit Sicularum urbium post Syracusas: clara & locuplete in familia. Patriam autem, quamvis rebus aliis valde insignem, nominis sui celebritate, eximiæque sapientiæ gloria in cælum evexit; ut ex his quidem T. Lucretii versibus manifestum est, libro I. de Rerum Natura:

Quorum Acragantinus cumprimis Empedocles est:
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris:
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor
Ionium glaucis aspergit virus ab undis:
Angustoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terraï oras a finibus ejus.
Hic est vasta Charybdis, & hic Ætnæa minantur
Murmura flammarum rursum se conligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat ignes:

Ad

Ad cælumque ferat flammaï fulgura rurſum.
Quæ quum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, viſendaque fertur
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi;
Nil tamen hoc habuiſſe viro pr.eclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.

Carminibus enim elegantiſſimis naturæ myſteria explicavit Empedocles: quam poſtea ſcribendi rationem ipſe Lucretius apud Latinos imitatus eſt. Pythagoram ab eo auditum, Timæus auctor eſt Hiſtoriarum libro IX. Neanthes vero apud Laërtium libro VIII. refert, Pythagoræos uſque ad Philolai & Empedoclis tempora doctrinam ſuam cum aliarum ſectarum philoſophis communicaſſe: poſtquam vero ipſe poëmatis editis ſacra illa & arcana dogmata vulgare cœperit, latam eſſe legem, ne deinceps ulli verſuum artifici in eorum ſcholas pateret aditus. Non ſolum autem rerum naturæ contemplationi vacavit, ſed & medicinæ operam dedit, eo quidem ſucceſſu, ut admiranda plurima in morborum curationibus præſtiterit. De morte ejus varia feruntur. Vulgatior tamen fama eſt, ipſum divinis honoribus augeri cupientem, in Ætnæ montis crateras ſe immiſiſſe, ibique ignibus conſumtum fuiſſe. Eo conſilio nimirum id fecit, ut repente ex oculis hominum dilapſus, unus aliquis e diis immortalibus haberetur. Sed quum altera ex ejus crepidis vi flammæ rejecta eſſet, quas æreas eum geſſiſſe ſcribunt,

bunt, præſtigiæ detectæ ſunt. De hujus philoſophi morte ita Horatius, prope finem Artis Poëticæ:

- - - - - dicam, Siculique poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit - - - - -

Anaxagoras natus eſt Clazomenis, urbe Aſiæ minoris, in provincia Ionia, olympiadis LXX. anno I. Quum opibus & nobilitate floreret, patrimonium ampliſſimum omnino contemſit, incultoſque agros ovibus & camelis depaſcendos reliquit; ne ſcilicet quidquam eſſet quod ipſum a diſcendi divina delectatione vel paulliſper avocare poſſet; ut Cicero ſcribit Quæſtione V. Tuſculana. Anaximenem audivit: vigeſimoque ætatis anno Athenas migravit; qua in urbe triginta totos annos commoratus eſt. Divinandi ſcientia eum excelluiſſe tradit Suidas; quam ſcilicet hauſerat e multiplici rerum abditarum cognitione. Ejus auditores nobiliſſimi feruntur, Pericles orator egregius, Archelaus, Socrates moralis diſciplinæ parens, & Euripides Tragœdiarum ſcriptor, (1) qui ſententiis utiliſſimis e ſacro philoſophiæ fonte derivatis poëmata ſua conſperſit. Im-

(1) Iſaacus Caſaubonus de Satyrica Græcorum Poeſi lib. 1. cap. 6. *Ea fabula* Cyclops *eſt: cujus patrem eſſe Euripidem, præter conſenſum codicum, manifeſto arguit vel ſententiarum crebritas, e media interdum philoſophia petitarum: qui proprius ſemper habitus poetæ hujus character.*

Impietatis demum accuſatus, & ob id Athenienſium finibus ejectus, Lampſacum conceſſit, ibique ad extremam ſenectutem tranquille vixit; adeo erecto animo & magno injuriam ferens, ut cuidam ita exſilium ei exprobranti: *Athenienſibus privatus es;* reſponderit, *Non ego illis, at illi me.*

Empedocles porro & Anaxagoras, quum ex permixtione res generari uterque docuiſſet, duabus rebus inter ſe diſſidebant. Primo, quod Empedocles opinabatur, certis quibuſdam temporum intervallis rerum ſeparationem congregationemque contingere. Putabat enim, mundum ſæpius genitum fuiſſe per ſeparationem; cujus ope res quæque a confuſo illo acervo ac permixtione diſcretæ ac ſejunctæ fuiſſent; corruptum pariter ſæpenumero per congregationem, cujus vi redierit ad antiquum Chaos: hanc vero ſeparationis & congregationis viciſſitudinem innumerabilibus antea ſæculis permanſiſſe, atque in poſterum ad infinitum tempus permanſuram. Ceterum, ſeparationem Empedocles Contentionem vocabat, ſive Diſcordiam; congregationem vero, Amorem: ut ex ejus diſticho apud Joannem Stobæum Eclogarum Phyſicarum capite XIII. manifeſtum eſt; quod tamen nonnulli codices Parmenidi tribuunt:

Ἄλλοτε μὲν Φιλότητι συνερχόμενα τάδε πάντα,
Ἄλλοτε δ' αὖ τε ἕκαστα φορεύμενα Νείκεος ἔχθει.

id eſt, vertente Hugone Grotio:

Omnia nunc videas permixta cupidinea vi:
Nunc ſejuncta iterum diſcordi ſeditione.

Anaxagoras contra, hujuſmodi viciſſitudinem haudquaquam probabat; dicebatque, quum omnia ab

omni

omni æternitate commixta & confusa fuissent, Intelligentiam sive Mentem, quæ nihil aliud est quam Deus, res distinguere ac separare cœpisse: hanc autem distinctionem & separationem numquam desituram, atque adeo mundum numquam interiturum. Deinde differebant Empedocles & Anaxagoras; quod nimirum hic affirmaret, principia illa quæ in rerum omnium confusione invenirentur, infinita esse, videlicet omnia illa quæ constant e similibus partibus, puta infinitas particulas carnis, infinitas sanguinis, infinitas osseas, ligneas infinitas, terrenas infinitas, & reliqua hujusmodi: Empedocles vero censeret, principia ex quibus res constant tamquam ex materia, esse tantum quatuor; vulgata nimirum elementa, ignem, aërem, aquam, terram: quæ singula deorum nominibus insigniebat. Ignem enim sive ætherem vocabat Jovem; aërem Junonem; terram Ditem sive Plutonem; aquam postremo Nestim; si Joannem Stobæum audimus loco superius allato, & Plutarchum de placitis philosophorum libro II. Præterea ponebat Empedocles duo contraria, nempe Contentionem & Amorem, tamquam caussas effectrices, ut paullo ante dictum est.

Sed jam Anaxagoræ doctrinam de rerum ortu copiosius aliquanto exponamus. Anaxagoras igitur sibi dari postulabat, ac tamquam certum atque exploratum ponebat, non posse id quod est, fieri ac generari ex nihilo: quæ sententia fuit omnium omnino veterum Physicorum. Hujus principii gratia Physici dixere, omnia quæ in dies exsi-

exſiſtere videantur, antea fuiſſe: verum hoc ab aliis atque aliis diverſo plane modo explicatum eſt. Nonnulli enim affirmavere, novarum rerum generationem nihil aliud eſſe quam mutationem ſive ἀλλίωσιν; cujus ope, id quod antea erat, ſed alia ſpecie indutum, mutatur, & aliam formam ſuſcipit, alioque modo ſe habet, puta denſetur, vel rarefit. Nonnulli vero generationem, ſecretionem quamdam eſſe voluere, per quam id quod prius erat confuſum atque permixtum, ſegregaretur & diſtingueretur: interitum contra ſeu corruptionem, congregationem quamdam eſſe dixere, per quam ea quæ diſtincta & ſegregata eſſent, rurſus commiſcerentur, & in priſtinum Chaos redirent. Deinde ponebat Anaxagoras, etiam contraria, & quæ inter ſe repugnarent, ita confuſa & commixta eſſe, ut in uno contrariorum aliud deliteſceret. exempli gratia, in calido frigidum contineretur, in frigido calidum. Quod ita confirmabat: Contrariorum unum ex altero prodit: experientia enim quotidiana nos docet, plurima ex calidis frigida fieri, ex frigidis calida: & mel dulciſſimum, in bilem converti, quæ amariſſima eſt. Atqui hujuſmodi mutationes non videntur explicari poſſe, niſi id quod apparet, in eo quod ex oculis vel aliis ſenſibus aufertur, delituiſſe dicamus. Unum igitur contrariorum ineſt alteri; adeoque contraria inter ſe confuſa & commixta ſunt. His poſitis, Anaxagoras ita ratiocinabatur: Neceſſe omnino eſt ut id quod fit, vel ex iis quæ ſunt, fiat, vel ex iis quæ non ſunt. Atqui id quod eſt, fieri ex iis quæ non

ſunt, ſive ex nihilo, ἀδύνατον eſt; de quo Phyſici omnes uno ore conſentiunt: igitur id quod fit, fit ex iis quæ ſunt. Atqui ex iis quæ ſunt, fieri non poſſet, niſi antea fuiſſet in eo ipſo ex quo generatur. Neceſſe igitur omnino eſt, ut quodcumque fit, fuerit antea & latuerit in eo ipſo ex quo generatur; in particulas quidem tenuiſſimas & a ſenſuum judicio remotiſſimas diſperſum & diſſipatum. Atqui videmus ex quolibet fieri quodlibet. Igitur πᾶν ἐν παντὶ μέμικται: hoc eſt, *quodlibet in quolibet deliteſcit: ac propterea omnia ſunt inter ſe mixta, atque confuſa.* Quamvis autem id verum ſit, ajebat Anaxagoras, nihilominus unumquodque ſenſibus noſtris id eſſe videtur quod, propter particularum ejuſdem generis multitudinem, maxime apparet extrinſecus. Rem explicemus exemplo. Quamvis nullum album inveniatur ſine admixtione nigri; nullum dulce ſine admixtione amari; tamen quod plures particulas albas in fronte locatas habet, ſenſibus noſtris album eſt: pariterque cujus plures particulæ dulces exſtant, guſtatui dulce videtur. Eadem ratione, quamvis nulla caro inveniatur in qua non inſint oſſeæ particulæ; nullum contra os, carnis particularum expers: nihilominus illud in quo plures oſſis vel carnis particulæ in prima fronte locatæ ſunt, ſenſuum judicio eſt os, vel caro, atque ita recte vocatur. Hæc fere fuit Anaxagoræ de principiis rerum ſententia; qui hanc particularum ſimilitudinem, proprio, & hunc ad uſum excogitato vocabulo, ὁμοιομέρειαν appellavit: quod autem rerum omnium ſemina inter ſe per-

mixta

mixta essent, πανσπερμίαν quoque vocitavit. Porro hanc Anaxagoræ doctrinam eleganter descripsit Lucretius lib. I. de Rerum Natura, his versibus:

Nunc & Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν,
Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrii sermonis egestas:
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,
Principium rerum quam dicit ὁμοιομέρειαν:
Ossa videlicet e pauxillis atque minutis
Ossibus: sic & de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni: sanguenque creari,
Sanguinis inter se multis coeuntibus guttis:
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum: & de terris terram concrescere parvis:
Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus esse:
Cetera consimili fingit ratione, putatque.
Nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane
Concedit, neque corporibus finem esse secandis:
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque illi supera quos diximus ante.

paucis vero interjectis:

Id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnes
Res putet immixtas rebus latitare: sed illud
Apparere unum cujus sint plurima mixta,
Et magis in promtu, primaque in fronte locata:
Quod tamen a vera longe ratione repulsum est.

Anaxagoram acerrime refellit Aristoteles libro I. Physicorum, capite V.

De Democrito, atque Epicuro.

Democritus Abderæ in Thracia natus est, summo genere, locuplete in familia. Trium fratrum

natu minimus fuit. Incidit ejus ortus in olympiadem octogeſimam, quo tempore Anaxagoras annum ætatis agebat quadrageſimum. Quum ſapientiæ mirum in modum ſtuderet, Geometriæ diſcendæ cauſſa in Ægyptum profectus eſt, deinde in Perſidem, & ad Chaldæos. Nec deſunt qui eum cum Gymnoſophiſtis in India verſatum eſſe ſcribant, & in Æthiopiam uſque penetraſſe: harumque omnium gentium doctos viros diligenter quæſiviſſe, & inventos conſuluiſſe. Quod vero, ut ſtudiis per otium vacaret nulla neque familiaris, neque publicæ rei ſollicitudine impeditus, in montibus & ſpeluncis vitam degeret, inſanus propterea a civibus ſuis judicatus eſt. Quapropter, ut eum ſanitati reſtituerent, quem ſcilicet plurimi ob eximiam doctrinam faciebant, litteras ad magnum Hippocratem Coum civitatis nomine miſerunt, orantes ne ad eos confeſtim venire gravaretur, periculum ſcilicet artis ſuæ in tanto viro facturus. Quum veniſſet Hippocrates, ac Democritum adiviſſet, ſapientiſſimi hominis colloquio ita captus eſt, ut Abderitarum ſtuporem facile agnoſceret, qui philoſophiam a dementia internoſcere non potuiſſent: eumque poſtea in familiariſſimis ſemper habuit. Democritus Eleaticam ſectam perfecit, veſtigia ſecutus eorum qui ipſum præceſſere, in primis Leucippi. Principia rerum ſtatuebat Atomos, & Inane. Hæc duo tantummodo reipſa eſſe in natura, docebat: cetera vero omnia, ut refert Laërtius, νενομίσθαι ſeu δοξάζεσθαι: *videri* nimirum, & ab *opinionibus* noſtris ita *pendere*, ut ab iis precariam quodam-

modo

modo naturam ſortiantur. Duplex igitur rerum genus inveniri; unum earum quæ *vere* & proprie ſint, &, ut ipſius vocabulo utar, ἐτεῇ: hujuſmodi autem eſſe Atomos & Inane dumtaxat: aliud earum quæ ſint νόμῳ, *lege* videlicet aut *opinione*; quam in claſſem compoſita omnia corpora referebat. Petrus autem Gaſſendus, vir doctiſſimus, metaphoram in hac voce νόμῳ, ut eam certe Democritus adhibuit, manifeſto deprehendit. Cenſet enim, Democritum id ſignificare voluiſſe: Quemadmodum juſtitia & injuſtitia, decorum ac turpe, laude ac reprehenſione dignum, in vita civili a legum ſanctionibus omnino pendeant; ita rerum qualitates, quas vocant, album puta & atrum colorem, dulcedinem atque amaritiem, calorem & frigus, in rerum natura, a vario ſitu atque ordine atomorum, quaſi ab lege quadam, proficiſci. Quemadmodum autem leges pro temporum conditione mutari ſoleant, eodem ferme pacto mutari ſitum atque ordinem principiorum; qua ex mutatione ſenſibus noſtris novæ res quotidie appareant, atque oriri videantur: quamvis materia ex qua fiunt, æterna ſit, & numquam mutetur. Ceterum atomi Democrito corpuſcula ſunt minima, ſolidiſſima, diviſionis omnis & corruptionis expertia, variis figuris prædita, & iccirco partes habentia, ſed quæ ſemper in ipſis fuerint, disjungi vero ac ſeparari nullo modo poſſint. Atomus igitur, quamvis ob ſoliditatem partium dividi nequeat, unde nomen apud Græcos invenit; magnitudine tamen deſtituta non eſt: qua ſi omnino careret, neque eam

corporibus compositis impertiri posset, neque corpus ipsa esset. Qua de re sunt hi versus elegantissimi T. Lucretii Cari lib. I. de Rerum Natura:

Tum porro, quoniam extremum cujusque cacumen
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus
Jam nequeunt; id nimirum sine partibus exstat,
Et minima constat natura; nec fuit umquam
Per se secretum, neque posthac esse valebit:
Alterius quoniam est ipsum pars, primaque, & ima:
Inde aliæ atque aliæ similes ex ordine partes
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quæ quoniam per se nequeunt constare, necesse est
Hærere, ut nequeant ulla ratione revelli:
Sunt igitur solida primordia simplicitate:
Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte,
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia simplicitate:
Unde neque avelli quidquam, neque diminui jam
Concedit natura, reservans semina rebus.

Cujusque corporis cacumen extremum Lucretio non est atomus ipsa; at potius minima pars atomi, quæ pars ita aliis partibus caret, ut ne cogitatione quidem dividi possit. Pars igitur semper est, neque totius naturam umquam induere potest: atque iccirco semper aliis partibus in atomo cohæret. ex qua partium æterna atque indissolubili conjunctione atomi soliditas oritur. Quum autem hujusmodi partes numquam secretæ & sejunctæ fuerint, neque ad componendam atomum ullo tempore convenerint, sed in ipsa semper fuerint, propterea atomus corpus est simplex, & a compositorum corporum natura omnino diversum,

quæ

quæ ex primorum corpuſculorum nempe atomorum conventu oriuntur, atque in ea demum diſſolvuntur. Inane autem, ſi Democritum audimus, corpus non eſt, ſed ſpatium tantummodo vacuum, omnique corpore deſtitutum, quod primis corporibus, nempe atomis, locum præbet, eaque ſuo ſinu recipit; ipſiſque admixtum, rerum gignendarum, & motus cauſſa eſt. Democritus igitur, ut facile intelligere poſſumus, contraria principia poſuit, quum docuit, e ſolido atque inani omnes omnino res effectas fuiſſe. Solidum autem, ſive plenum, ſive corpus, ſive atomos, *entis* nomine donavit: inane contra, *non ens* appellare voluit; non quod inane nihil omnino eſſet, ſed quod eſſet aliquod *non ens*, ipſi *enti* ſive corpori oppoſitum. Porro mixta ſeu ſecunda corpora, docebat, vel ex corpuſculis individuis, vel ex nihilo conſtare oportere. Quum enim ea ſit uniuſcujuſque mixti corporis natura, ut in partes dividi poſſit; nihil vetat, nos id reapſe diviſum fingere: ſic autem neceſſe eſt, vel atomos tandem, vel nihilum relinqui. Fieri autem nequit ut nihilum relinquatur, quum ex nihilo nihil fiat. Oportet igitur atomos relinqui: ex quibus propterea & inani omnia effecta ſunt. Ignorabant ſcilicet veteres Phyſici, hanc rerum univerſitatem a ſapientiſſimo & præpotente Deo nulla ex materia creatam. propterea hoc tamquam commune ſcitum ſtatuére, *Nihil ex nihilo fieri*. Quod quamquam per ſe notum philoſophi exiſtimabant, inventus eſt nihilominus T. Lucretius Carus, ex Epicuri ſchola Phyſicus acutiſſimus,

mus, qui hujusmodi effatum rationibus confirmandum susciperet. Quæ argumenta omnia, levia magnam partem ac futilia, neque ad rem pertinentia, legere est apud ipsum libro I. de Rerum Natura, a versu CLVI. Neutrum vero horum principiorum quæ Democritus posuit, ex altero fit: sunt enim contraria, atque æterna pariter: sed utrumque conjunctum, rerum generationis caussa est. Sunt quoque ambo infinita; atomi quidem numero, inane magnitudine. Atomorum proprietates præcipue duæ sunt, figura nempe, & magnitudo. Quod attinet ad figuram, multa sunt Democrito atomorum discrimina: quædam enim rectis lineis comprehensæ ac definitæ sunt, adeoque angulos habent: quædam unica linea curva conclusæ, angulisque carentes, puta aut rotundæ, aut *elliptica* figura: aliæ læves, aliæ asperæ: aliæ cavæ ac perviæ, aliæ vero aduncæ, neque hamorum dissimiles. Quod ad magnitudinem spectat, adeo sunt exiguæ, ut oculorum sensu vel acerrimo attingi nequeant: ea vero soliditate sunt præditæ, ut omnem plagam facile perferant, neque ulla vi secari aut infringi possint, neque pati aliquid, aut interire: sed perpetuo inviolatæ, integræ, individuæque permaneant, & semina rebus gignendis assidue suppeditent. Fit igitur necessario, ut atomi sensilium omnium qualitatum sint expertes: non enim putandum est, alias atomos nigras esse, alias albas, alias versicolores: vel quasdam dulces, quasdam amaras: quasdam calidas, quasdam frigidas: etenim hæ omnes qualitates ex varia atomorum

inter

inter ſe conjunctione, & inanis cum atomis, originem ducunt: aliaque in aliam facile mutari poteſt, ut ſcilicet una recedente, altera adveniat: quæ mutatio ab atomorum ſoliditate alieniſſima eſt. Ad haſce duas atomorum proprietates, figuram ſcilicet ac magnitudinem, tertiam ab Epicuro adjunctam fuiſſe tradit Plutarchus in libris de placitis philoſophorum, videlicet pondus. Ariſtoteles tamen libro I. de Ortu & Interitu, animadvertit, a Democrito atomum aliam alia graviorem ſtatutam eſſe, ut quæque ſcilicet magnitudine præcelleret. Docebat præterea Democritus, atomos illas, ſive prima corpora, in infinito inani ſemper moveri, in quo nihil ſummum, nihil infimum, neque quidquam medium, vel extremum ſit. Hujuſmodi motus, ut ille quidem falſo exiſtimabat, numquam incœpit, ſed ab omni fuit æternitate. Unius autem generis eſt, nempe obliquus: quam Democriti ſententiam Epicurus minime probavit, duplexque motus genus induxit, directum unum, declinationis alterum. Corpuſcula in hoc immenſo ſpatio perenni motu agitata, in ſe ſe mutuo incurrunt, atque ita vel reſiliunt & ſeparantur, quum ſcilicet figura unius, figuræ alterius minime accommodari poteſt: vel adhærent & conjunguntur, quum utriuſque atomi figuræ optime conveniunt: ex qua conjunctione res omnes generantur, tamdiuque permanent, quamdiu aliarum atomorum extrinſecus aſſidue pulſantium ictus atque plagas ſuſtinere poſſunt: quum enim debilitari cœperint, ſenſim fatiſcunt, ac tandem in ſua principia diſſol-

vun-

vuntur. Sic omnia neceſſitate quadam fiebant, atque interibant; quæ nihil aliud erat quam rapidiſſimus motus atomorum, fatique nomine etiam appellabatur. Hanc neceſſitatem Democritus providentiæ loco habebat: quæ in repugnantia, velocitate, ac percuſſione materiæ tantummodo ſita erat. Diſcrimina porro, atque ἐναντιώσεις, quarum ope res exſiſtunt, ac ſingulas proprietates habent, & quas memorare videtur Ariſtoteles capite VI. libri I. Phyſicorum, Democritus Leucippum ſecutus, potiſſimum tres ponebat: ῥυσμὸν, ſive *figuram*; διαθιγὴν, ſive *ordinem*; τροπὴν, ſive *ſitum*. quemadmodum (ut hoc utamur exemplo) littera N & littera A differunt figura: ſyllaba A N & ſyllaba N A differunt ordine litterarum: litteræ vero Z & N ſolo ſitu diſcrepant. Manifeſtum igitur eſt, a Democrito quoque, ut & ab aliis Phyſicis, contraria inducta fuiſſe. Primum enim contraria ſunt plenum & inane; quemadmodum oſtendimus: deinde ipſius pleni, nempe atomorum, plura diſcrimina numerantur; neque ſolum in rerum generatione, ſed in rebus ipſis genitis; quarum ſcilicet diverſæ qualitates a diverſa figura, ordine, atque ſitu primorum corpuſculorum petendæ ſunt.

Ceterum, hujuſmodi principia pluribus e Græcia philoſophis placuere. Leucippus enim, qui Democritum ætate præceſſit, poſuit τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν: hoc eſt *plenum atque inane*: Democritus τὰ ναστὰ καὶ τὸ κενόν: nimirum *ſolida & inane*: Metrodorus τὰ ἀδιαίρετα καὶ τὸ κενόν: *individua* ſcilicet *atque inane*: Epicurus tandem, σώματα λόγῳ θεωρητὰ, ἀμέτοχα κενοῦ, ἀγέννητα, ἀδιάφθαρτα,

οὔτε

οὔτε τραυθῆναι δυνάμενα, οὔτε ἀλλοιωθῆναι, καὶ τὸ κενόν: id eſt *corpora quæ ratione tantum videri poſſunt, inanis expertia, neque umquam orta, neque umquam interitura: quæ neque perfringi, neque immutari poſſunt: & præterea inane.* Empedocles autem, & Plato, & ceteri ante Platonem, nullum in rebus inane agnoverunt: quorum ſententiæ Ariſtoteles noſter ſubſcribit. Stoici vero docebant, ἐντὸς τοῦ κόσμου οὐδὲν εἶναι κενὸν, ἐκτὸς δὲ ἄπειρον: id eſt, *intra mundum quidem nihil eſſe inane, extra mundum vero id immenſum reperiri, & nullis terminis circumſcriptum.* Porro inane, ut cenſent Epicurus atque Democritus, neque facere quidquam, neque perpeti poteſt: quæ duo ſolis corporibus conveniunt: ſed tantummodo corporibus locum præbet, ut hac atque illac moveri poſſint. Itaque Epicurus inane appellabat χώραν, hoc eſt *locum & regionem*, & διάστημα, nempe *ſpatium atque intervallum*. Quapropter Lucretius libro I. nullam tertiam naturam vel eſſe vel excogitari poſſe affirmat, præter corpus & inane. Quidquid enim ſit, aliqua magnitudine præditum eſſe oportere contendit, aut ampla, aut modica, aut perexigua certe. quod ſi tangi ab alio, vel percelli poſſit, in corporibus jure numerabitur: ſin vero tactum omnem reſpuat, neque ullo modo corporibus permeantibus obſiſtat, immo tranſeundi facultatem ipſis largiatur, inane cenſendum erit.

Quoniam vero in Epicuri mentionem incidimus, & de illo nonnulla dicamus. Natus eſt Epicurus Athenis, quod vel ex initio libri VI. T. Lucretii Cari abunde conſtat; quamvis non de-

defuerint qui eum Samium appellarent; olympiadis CIX. anno III. patre Neocle, matre Chæreſtrata: atque Ariſtotele jam vita functo, doctrinæ fama florere cœpit. Hic philoſophus nobiliſſimæ apud veteres ſectæ conditor fuit, cui magni & præclari viri certatim ſecutis temporibus nomina dedere. Sumſit Epicurus a Democrito plurima, immo pleraque omnia, quæ ſuis quibuſdam inventis deteriora fecit. Dialecticam, Geometriam, dicendique artem, quaſi res inutiles, pro nihilo habuit. Senſuum judicio plurimum detulit. Voluptatem finem bonorum conſtituit. Animos hominum una cum corporibus interire docuit. Deorum providentiam ſuſtulit; deque eorum natura levia multa & ridicula monimentis mandavit: quæ omnia apud M. Tullium, in libris ad philoſophiam pertinentibus, Diogenem Laërtium libro X. de vitis philoſophorum, & T. Lucretium Carum, qui Epicurum immodicis laudibus ornavit, ac univerſam ejus phyſicam elegantiſſimis carminibus explicavit, ſtudioſi homines legere poſſunt.

De Pythagora.

Pythagoras, a quo Pythagorici ſive Pythagoræi appellati, in Samo inſula natus eſt, Mneſarcho patre, ut plerique tradidere, mercatore ditiſſimo. Pherecydem Syrum, Anaximandrum, ac Thaletem adoleſcens audivit; quum odio Polycratis Samiorum tyranni ſolum vertiſſet, profuguſque a patria multas regiones peregrinaretur. Cum Phœnicibus, Ægyptiis, atque Chaldæis philoſophis fami-

familiariter verſatus eſt, ab iiſque multiplicem doctrinam hauſit. In eam denique Italiæ partem venit quæ Magna Græcia olim appellata eſt, Tarquinio Superbo Romæ regnante, non autem Numa Pompilio, ut nonnulli falſo tradidere, inter quos Ovidius libro XV. Metamorphoſeon, ubi plura ejus præcepta commemorat. Ea in Italiæ regione ſcholas aperuit, juveneſque ad humanitatem, continentiam, erga ſenes reverentiam, frugalitatem, omnem denique virtutem informavit. Mathematicis præterea diſciplinis, quibus excellebat, rerumque item divinarum atque humanarum notitia eorum animos imbuit. Silentium quinquennale auditoribus ſuis imperabat: cujus inſtituti multæ cauſſæ feruntur: ea vero potiſſima, ut cujuſque animus a rebus externis ad ſe ipſum converteretur, atque, ut ita loquar, ſecum habitaret, nullaque alia re impeditus, deos pure ſancteque coleret. Ab omni animalium carne, vinoque item, ac fabis eoſdem abſtinere voluit: ne ſcilicet mens ipſorum nimio ciborum pondere gravaretur, ac tandem paullatim hebeſceret. Numeris vim plurimam tribuit: imparem vero maſcula dixit eſſe virtute, diiſque cæleſtibus dicatum; quibus iccirco ſemper eo numero ſacra fierent; plenumque ac perfectum appellavit. Parem vero, ſive æqualem, imperfectum eſſe dixit atque femineum, deorumque inferorum proprium. Præterea, quæcumque ab impari numero generentur, ea maſcula eſſe docuit, quæ vero a pari, feminea. Numerus enim par, ſectioni ac diviſioni obnoxius eſt: impar vero, utriuſque expers; nequit enim

divi-

dividi in duo dimidia; & iccirco efficax, & magna vi. Porro numerus ille qui ex multiplicatione paris & imparis prodit, ἀῤῥενόθηλυς, hoc est *hermaphroditus*, Pythagoræis dicebatur: quod videlicet masculæ simul ac femineæ naturæ particeps esset. E Pythagoræorum igitur doctrina Virgilius Ecloga VIII. — — — — — — *numero deus impare gaudet.* ad quem principis poëtæ locum videndus Servius grammaticus. Musice a Pythagora mirum in modum exculta est; in qua vires maximas ponebat, quum ad animi perturbationes sanandas vel certe leniendas, tum etiam ad medicinam ægris corporibus adhibendam. Ejus doctrina de animorum immortalitate, atque in alia deinceps corpora, etiam ferarum & pecudum, migratione, quam proprio vocabulo μετεμψύχωσιν appellabat, celebratissima est. De hac Ovidius libro XV. Metamorph. v. CLIII. verbis ipsius Pythagoræ:

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent animæ: semperque, priore relicta
Sede, novis domibus habitant vivuntque receptæ.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam
Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit. errat, & illinc

Huc

Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit ullo.
Utque novis fragilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem;
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eamdem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, nec sanguine sanguis alatur.

Hic primus *philosophiæ* nomen invenit; quum enim per Peloponnesum iter faceret, Leonti Sicyoniorum tyranno eum interroganti, cujusnam artis aut disciplinæ notitiam profiteretur, se *philosophum* esse respondit, videlicet. *sapientiæ studiosum;* quum ante ipsum, qui rerum cognitione floruerant, se σοφȣ̀ς, nempe *sapientes*, nominari, insolenter nimium atque arroganter, passi essent: quod nomen Pythagoras in solum Deum convenire arbitratus est. Pythagoræ secta, Italica dicta fuit, nimirum a regione in qua ille docuit: quemadmodum Thaletis, Ionica. Porro e Pythagoræorum cœtu fama clarissimi adhuc sunt, Timæus Locrus, Ocellus Lucanus, Archytas Tarentinus, Philolaus Crotoniates, Parmenides & Zeno ambo Eleatæ, Melissus Samius, & alii nonnulli.

De Platone.

Plato Atheniensis fuit, Aristonis & Perictyones filius, primum avi nomine appellatus *Aristocles*. *Platonis* vero nomen accepit, vel quod esset

ſet πλατὺς τὰ ςέρνα, *lato & valido pectore*, vel quod τὸ πλατὺ τȣ̃ λόγȣ γένος, *copioſum* ſcilicet *atque apertum dicendi genus* excoleret. Nec deſunt qui hujus rei alias quoque cauſſas afferant, quas longum eſſet ſingillatim recenſere. Natus eſt olympiadis LXXXVII. anno III. Archonte Athenis Apollodoro. Gymnaſticæ, muſicæ, picturæ adoleſcens operam dedit; quibus deinde valere juſſis, in Socratis diſciplinam ſe tradidit, a quo philoſophus effectus eſt. Annos natus duodetriginta, varia itinera ſuſcepit, ejuſque temporis doctiſſimos viros conſuluit, in primis vero Euclidem Megarenſem, Theodorum mathematicum, & Pythagoræos celeberrimos, Archytam, Philolaum, Eurytum, Timæum Locrum, Echecratem, Acrionem, & nonnullos alios. Cum vatibus & ſapientibus Ægyptiis familiariter verſatus eſt. Ex Ægypto demum reverſus, Deliis oraculum declaravit, quo jubebantur cubum, ſive aram quæ in Delo erat, duplicare. Ter Siciliam ingreſſus, modo propitios, modo iratos utrumque Dionyſium, ejus inſulæ tyrannos, expertus eſt. Quamvis rempublicam attingere noluerit, conſilio tamen, Dioni, multiſque viris principibus præſto fuit. Docuit in Academia, qui locus fuit nemoroſus, Athenis mille paſſuum intervallo diſtans, conditus a quodam Academo heroë; unde Platonicæ philoſophiæ ſtudioſi, Academici poſtea vocati. Ejus auditores præſtantiſſimi Ariſtoteles, & Xenocrates fuere. (1) Oratione uſus eſt elegan-

(1) Cicero in Oratore ad Brutum pag. 638. edit.

gantiſſima, clariſſimiſque verborum & ſententiarum luminibus exornata, quemadmodum ipſius monumenta quæ exſtant, abunde teſtantur : ut icirco poëmati propior a ſummis dicendi magiſtris judicata ſit. In Phyſicis Pythagoræos atque Heraclitum, in Ethicis Socratem, in Dialecticis Zenonem Eleatem & Parmenidem ſecutus eſt, a quo præcipue doctrinam de ideis, ſive de formis rerum univerſalibus, accepiſſe videtur. Hanc porro doctrinam, quamvis a Platone ſedulo emendatam, nonnulli ſiniſtre exceperunt, & calumniari auſi ſunt. Fato functus eſt olympiadis CVIII. anno I. ætatis vero ſuæ LXXXI. ſucceſſore in Academia relicto Speuſippo, ſororis filio.

Ut igitur de principiis rerum a Platone poſitis, quod inſtituti noſtri ratio poſtulat, aliqua dicamus; Ariſtoteles cap. V. libri I. Phyſicorum tradit, duobus modis ab his quos ipſe Phyſicos appellat, principium unum ſtatutum fuiſſe. Quidam enim, quum ipſum *ens*, ſive principium, unum corpus ὑποκείμενον poſuiſſent; & illud quidem vel trium elementorum unum, nempe aut ignem, ut Heraclitus, aut aërem, ut Anaximenes, aut aquam, ut Thales; vel aliud quippiam igne denſius, & aëre rarius; raritate ac denſitate, & omnino abundantia quadam & defectu,

K ex

dit. Elzev. *Itaque video viſum eſſe nonnullis, Platonis & Democriti locutionem, etſi abſit a verſu, tamen quod incitatius feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poëtarum, apud quos niſi quod verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.*

ex illo uno reliqua generari, rerumque multitudinem effici docuere. Abundantiam porro & defectum Plato potissimum adhibuit, magnum & parvum inducens loco materiæ reique subjectæ, ex qua reliqua orirentur. Et hoc ab aliis Plato differt; quod scilicet quum illi unum subjectum, tamquam materiam, & duo contraria, densitatem scilicet ac raritatem, quæ formæ ac differentiæ vicem fungerentur, statuissent; hic contrariam omnino viam ingressus, duo statuerit tamquam rem subjectam, nempe magnum & parvum; unum vero tamquam formam. Joannes autem Philoponus existimavit, materiam ideo magnum & parvum a Platone appellatam, quod hæc duo ad quantitatem pertineant, quæ a materia ante recipitur quam ea ullis qualitatibus afficiatur. Vocatam vero duplici nomine, ut scilicet τὴν δυάδα, sive *duorum numerum*, significaret, de quo Pythagoræi mentionem sæpius fecerant. Ab his enim materia *dyas infinita* nominata erat, quod nimirum ipsa per se materia sit infinita, atque a forma tantummodo circumscribatur: divisionis præterea formarum, & multitudinis caussa & radix esse videatur. Primus enim numerorum qui ab uno recedit, ac divisionem patitur, *dyas* est. Plurima quæ de Platone scribi ac memorari possent, libenter prætermittimus: hæc enim quæ diximus, ad rem præsentem satis esse arbitramur.

F I N I S.

JO. ANTONII
VULPII
OLIM PUBL. PHILOSOPHIÆ PROFESS.
ORATIONES IV.

I. De Cæli Natura & Subſtantia.

II. Academicorum, & Scepticorum Philoſophiæ rationem non eſſe in Phyſica omnino repudiandam.

III. De Vacuo.

IV. De Loco.

EJUSDEM AUCTORIS SCHOLIIS ILLUSTRATÆ.

Viro Illuſtriſs. atque Excellentiſs.

ANDREÆ SUPERANTIO
ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,
EX ORDINE TRIUMVIRUM
ACADEMIÆ PATAVINÆ CURANDÆ,

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

ROGATUS *olim a familiari ſuo Anaxagoras Clazomenius*, ANDREA SUPERANTI *Senator Ampliſſime, cujuſnam rei cauſſa natus eſſet:* Inſpiciendi, *reſpondit*, Cæli & Solis & Lunæ cauſſa. *Quum vero eumdem philoſophum quidam e populo (ut vulgaribus hominibus odioſum fere eſt ſapientiæ nomen) acriter objurgaret, quod is a civium cœtibus libenter abeſſet, ac patriam prorſus negligere videretur; illud memorabile pronuntiaſſe fertur, digitum ad Cælum intendens*, Mihi vero patriæ cura, & quidem ſumma eſt; *non obſcure ſignificans*, Nullam aliam ſibi patriam eſſe quam Cælum. *Socrates contra, quamquam ab Anaxagoræ diſciplina profectus erat, exiſtimavit tamen, homini a ſublimium & cæleſtium rerum inveſtigatione abſtinendum, atque humana ſola curanda, nempe quæ ad morum inſtitutionem, familiæ præterea & civitatis gubernationem pertinerent. Ejus itaque vox in hanc ſententiam pervulgata, ore omnium celebratur:* QUÆ SUPRA NOS, NIHIL AD NOS. *Uterque, ſi verum fateri volumus, non omnino recte. Nam ut civilia & domeſtica negotia floccifacientem, totum ſe aſtrorum contemplationi dedere, inurbanum ac ſubagreſte non injuria videtur: ita Cæli aſpectu neglecto mentis aciem ad ter-*

rena & vilia penitus convertere, præpoſterum & natura hominis indignum haberi poteſt. Quamobrem Lactantius auctor graviſſimus, Divin. Inſtitut. lib. 3. cap. 20. Socrati vehementer ſuccenſet, quod is nobiliſſimum animal, & ad ſumma genitum, arctis terrarum finibus, tamquam piſtrino aliquo, concludere & coercere voluerit: Ariſtoteles vero Ethicorum lib. 6. cap. 7. tradit, Anaxagoram, Thaletem, & horum ſimiles alios, ſapientes quidem appellatos fuiſſe, prudentes non ſane; quod ſcilicet admirabilia & difficilia callerent, ſed humana ac ſibi profutura ignorarent. TE *porro ſi neutrius erroris affinem dixerim, Vir Præſtantiſſime, vere ac merito dixerim.* SUPERANTIOS *enim illos veteres, Majores tuos, imitatus, viros fortiſſimos, & civium ſuorum amantiſſimos, Patriæ ſemper conſuluiſti, & nunc, ſi quis alius, conſulis Sevir Senatu regundo: verumtamen in doctrinæ ſtudiis temporis aliquid ponis, & doctorum virorum ſermonibus interes, eorum præcipue qui de cæleſtibus & divinis diſputare conſueverunt. Nimirum regiones illas animo peragrare amas ad quas* TE *eximia probitas tua, & maxima erga Immortalem Rempublicam merita aliquando evectura ſunt. Optimis enim curis de ſalute Patriæ agitata & exercitata mens (quod Cicero ipſe teſtatur in Somnio Scipionis) in ſupremam illam ſedem & domum ſuam celerrime pervolabit. Quæ quum ita ſint, Orationem hanc meam* De Cæli Natura & Subſtantia, *tenuem illam quidem, ſed induſtriæ ac diligentiæ meæ in Phyſica tradenda ſpecimen qualecumque, obſervantiæ vero erga* TE *Virum Summum, pignus ac teſtimonium, benigno animo, lætaque fronte, ut ſpero, excipies, meiſque conatibus favebis. Deus Optimus Maximus, bonorum conſiliorum adjutor,* TE *Patriæ, Familiæ, Gymnaſio Patavino, mihi denique clienti & cultori tuo diu ſervet incolumem. Vale. Patavio. Kalendis Decembribus Anno D.* clↄ lↄ cc xxxii.

ORA-



ORATIO.

De Cæli Natura, et Substantia.

Habita in Gymnasio Patavino Nonis Novembris,
ANNO DOM. MDCCXXVII.



Tudiorum curriculum hoc anno rursus ingressus, explicationem librorum Aristotelis de Cælo ab Amplissimis Rei Litterariæ Triumviris mihi mandatam esse video. Quum igitur in his libris philosophus noster, aspectabilem hanc rerum universitatem ex quinque omnino corporibus constare doceat: quorum quatuor, vulgata nimirum elementa, & mutabilia sint, & oriantur atque occidant; quinti vero, a ceteris longe diversi, ea ratio sit, ut neque mutari possit, neque dissolvi; existimo iccirco, me recte facturum, si, Deo Optimo Maximo opem atque auxilium ferente, celeberrimam quamque veterum & recentiorum Physicorum sententiam de Cæli natura & conditione in medio

posuero, atque hinc futuræ disputationis exordium cepero. Tota enim, quanta est, superioris illius regionis consideratio vel ad Astronomos pertinet, vel ad Physicos. Atque Astronomi quidem leges accurate investigant quibus astra, nempe corpora quæ in æthere moveri animadvertimus, constanter atque perpetuo trajectiones & conversiones suas absolvunt: horumque incredibili ac pertinaci labore, plurium sæculorum intervallo, effectum est, ut homines multo ante scire ac prædicere possent, quo loco Cæli quovis minimo temporis puncto unumquodque astrum futurum sit: quando item oriturum, vel occasurum: quando eodem quo aliud, perventurum; vel, contra, quanto spatio a quolibet alio absuturum, puta utrum nonnullis tantum circuli gradibus, an quadrante, an vero tota diametro. Præterea, quo tempore, defectus non tantum Solis ac Lunæ, sed etiam minorum illorum planetarum qui circum Jovem feruntur, & quos Galilæi sollertia primum detexit, contingere necesse sit: atque utrum totum planetæ corpus obscurandum sit, an vero solum ejus pars aliqua; & quota. Quæ omnia diligentissimis supputationibus deprehensa, in ephemeridas postea redigere solent, magno vitæ hominum usui atque adjumento futuras. Quid ego nunc (1) Ptolemaicas tabulas, (2) Alphonsinas, (3) Prutenicas, (4) Danicas, (5) Rudolphinas, (6) Lansbergianas, (7) Philolaicas a Bullialdo concinnatas, (8) Streetianas, (9) Hirianas, Aureas denique Jo: Dominici Cassini, tametsi nondum editas, commemo-

memorem, immortalia excellentiſſimorum ingeniorum monumenta? hæ ſcilicet poſteritati omni fidem facere poſſunt, ad quem uſque finem terreſtre animal homo, ſumma induſtria, improbo labore, mentis denique conatu progrediatur. In hos quippe viros, aut heroas potius, illa Ovidii e primo Faſtorum (v. 297.) perbelle conveniunt:

Felices animos, quibus hæc cognoſcere primis,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit!
Credibile eſt, illos pariter vitiiſque, lociſque
Altius humanis exſeruiſſe caput.
Non Venus, & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiumve fori, militiæve labor.
Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco,
Magnarumve fames ſollicitavit opum.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.
Sic petitur Cælum: non ut ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.

His tamen, ſi verum fateri volumus, quamvis & hibernis noctibus vigilare, puroque ac ſereno Cælo vim frigoris perpeti, quamvis oculos ſervandis ſiderum curſibus delaſſare, & planetas quoſdam ſub Solis radiis plerumque latentes, ac tamquam in inſidiis poſitos, notare ac patefacere debuerint: quæ difficultatis ac moleſtiarum plena ſunt; benignius longe argumentum propoſitum fuit quam Phyſicis, qui rerum earumdem naturas & proprietates explicare, in animum induxerunt. Etenim Aſtronomi, Trigonometriæ præſidiis inſtructi, certiſſimam inſiſtunt viam qua planetæ cujuslibet a terra diſtantiam, ſingulorum periodos

riodos vel tardiores, vel celeriores, varios eorumdem accessus & recessus, tum astrorum loca, ortus, occasus, coitiones, digressiones, συζυγίας, oppositiones, aliasque τῶν φαινομένων mutationes penitus cognoscere possint, neque in errores adeo pudendos incidere: quamquam haud raro & ab iis peccatum est, regularum fortasse negligentia: Physici contra; quorum cognitio fere tota sensuum testimonio innititur; quum ad res cælestes explorandas ventum est, tam longe a nobis remotas, conjecturis opus habent, quæ fallacissimæ persæpe sunt. Neminem igitur vestrûm, Auditores ornatissimi, indignari aut mirari oportebit, tam varias esse, tamque inter se discrepantes virorum doctissimorum de Cæli natura sententias. Nam si philosophos minime vulgares, de rebus humilioribus, quas & oculis collustrare, & manibus contrectare ac versare ipsis licet, summopere dissentire videmus; eo magis humanæ imbecillitati ignoscendum est quotiescumque mentis acies in rerum sublimium contemplatione, (10) quas natura longissimo intervallo a terrestribus hisce regionibus separare ac dispescere voluit, hebescit quodammodo atque caligat; neque judicia sua ita firmare aut stabilire potest, ut nullum reprehensioni aut dubitationi locum relinquat.

Prima igitur de Cæli natura sententia (prima, inquam, non tempore, aut dignitate, sed quadam facilitate doctrinæ) Petro Gassendo tribuenda est, viro eximio, & in antiquorum philosophorum decretis cognoscendis maximopere exercitato; qui sectione II. Physicæ, lib. 1. c. 1. terram

ram tantummodo, & huic circumfuſa elementa reliqua, ſtellas item fixas, & vagas, ex materia conſtare docet. Interjectum autem, vaſtiſſimum ac prope immenſum, Cæli ſpatium, (quod pulchre (11) Pindarus Olympiorum Ode 1. dum Sol terras illuſtrat, vocavit ἐρήμαν αἰθέρα, *deſertum ætherem*) nequaquam corporeum, ſed omnino materiæ expers, inane, ac prorſus immotum, eſſe ſuſpicatur; quod tamen corporibus quibuslibet, hac & illac permeantibus, omni ſublato impedimento, tranſeundi poteſtatem faciat. Si quis hanc ſententiam probet, nullo negotio fortaſſe explicaverit, cur Cælum ſit ſumme pellucidum, (12) ſiderumque radios ad incredibilem diſtantiam trajiciat, neque ullum in adverſam partem reflectat. Hæc enim eſt vacui, ſive loci corpore carentis, natura, ut nullo modo obſiſtat, ſed ſpatium & viam corporibus præbeat. Neque vero quicquam eſſe cauſſæ Gaſſendus arbitratur, cur ingentia illa cæli intervalla plena potius, quam inania exiſtimare debeamus. Ut enim ſidera per illa moveantur, atque diſcurrant, nullo adminiculo iis opus eſſe cenſet, quo librentur & ſuſtineantur; quemadmodum aves aëre indigent ad volandum, piſces aqua ad natandum: neque enim ſtellas perinde graves eſſe ac volucres & piſces, nullumque extra ſe habere, in quem decidant, inferiorem locum.

Enimvero, ſi fingamus, aſtra omni corpore quo fulciantur, deſtituta, magno impetu deorſum ruere, quo tandem ventura eſſe dicemus, aut quo tandem loco quietura? Nonne philoſophi

qui-

quibus placet, terram in media mundi regione immotam consistere, eam ponderibus suis libratam in aëre circumfuso pendere docent, propterea quod omnes terræ partes ad similem communemque naturam conveniant, unumque globum efficiant, adeoque si divulsæ inde fuerint, eodem summa ope reverti nitantur? Nulla porro caussa est, quamobrem totum terræ corpus aliorsum ferri oporteat; quo enim, quæso, terra moveatur, si eam aliquo moveri contingat? num ad aliam terram multo majorem, cui comparata hæc terra nostra quam incolimus, pars ejus quodammodo habenda sit? at præter hanc terram, alia terra nulla est: num ad corpus aliquod cæleste, puta Solem, vel aliquam e stellis? at Solis, & cujuslibet sideris natura a terræ natura longe diversa est, neque iccirco fieri potest, ut vel totum terrenum corpus, vel ulla ejus pars ad tam dissimiles naturas congregetur. Quapropter mirum non est, terram in sua sede permanere, neque stationem deserere quam initio rerum sortita fuit. Ob eamdem igitur caussam singulæ stellæ, sive per tenuissimum labentes ætherem, sive per inania Cæli spatia (quod Gassendus opinatur) permeantes, numquam de suis regionibus dimoventur, eosdem semper cursus tenent, eosdem semper gyros absolvunt. Verisimile quidem est, si quemadmodum terræ particulæ a toto ejus elementi corpore avelli possunt, ita Lunæ partes (ut hoc potissimum exemplo utamur) ab ejus sideris corpore vi avellerentur, eas sibi postea relictas, eodem recasuras unde avulsæ fuissent: totum vero

ro Lunæ corpus in ſua regione ſemper manere oportet, perinde ac totus terrarum orbis e ſibi præſcriptis finibus numquam excedit. Eadem & reliquorum ſiderum ratio eſt.

Moventur igitur corpora cæleſtia, ut ſapienter olim animadvertit Galilæus, (13) eo tantum genere motus quod (14) vel illa ſemper in eodem loco detineat, vel circa punctum aliquod medium per magni orbis ambitum deferat: quo motu neque ejus quæ movetur, ſtellæ, neque adeo proximarum ſtellarum ordo turbatur. Motum enim hujuſmodi aut undique finitum, aut potius omni termino carentem appellare poſſumus: quum in circuli ambitu, a puncto quolibet converſio initium ſumere, & ad punctum quodlibet, tamquam finem, contendere videatur. Quum autem certas maxime orbitas planetarum curſibus natura præſcripſerit, quas iis tranſilire non licet; propterea fit, ut intervalla quæ illas vel extrinſecus complectuntur, vel ab iis incluſa continentur, aliorum ſiderum trajectionibus expedita omnino relinquantur, neque ulla ſequatur in rerum natura confuſio. Porro quodcumque in orbem movetur, ſemper in eo eſt ut quodammodo e carceribus exeat, & ut pariter eodem redeat unde diſceſſit. Iccirco ſolus motus orbicus æquabilis eſt, ac ſui ſemper ſimilis: neque progreſſu fit celerior, neque contra tardior atque tardior; id quod motui recto contingere videmus. Nam ſi corpus feratur ad terminum naturæ ſuæ convenientem, quo magis ipſi propius fit, eo velocius movetur: contra, ſi vi quadam abre-

reptum discedat a termino naturali; quo longius abripitur, eo segnius incedit. Quæ autem corpora in orbem moventur, quum semper ex locis naturalibus proficiscantur, ad ea semper nihilominus revertuntur: ita ut paribus omnino propensionis & repugnantiæ momentis æquabilitas motus conservetur. Nihil igitur mirum si corporum cæleſtium circuitus perpetuus est, neque tam longis temporum ætatibus adhuc cessat: ubique enim incipit, ubique desinit. Contra, in linea recta, per quam motus accelerat, aut retardatur, eum aliquando desinere necesse est. Qui enim motus progressu minuitur, aut languescit, violentus est: nihil autem in eo quod violentum est, perseverat. Qui vero augetur, & velocior fit, necessario tandem ad terminum pervenire debet, si quem habet, atque ibi cessare: (15) nam si nullum habuerit, neque incipere poterit. Nullo enim fine motui proposito, frustra esset motus. His argumentis adductus Galilæus, conversionem & circuitum dumtaxat, motum scilicet æquabilem atque perpetuum, proprium esse docet ingentium corporum hanc rerum universitatem constituentium, optimeque a Deo dispositorum: motu autem recto solum ob eam caussam uti naturam, ut corpora quælibet, eorumque partes in sua loca, via nimirum brevissima, reponat, si forte e sedibus suis excesserint, aut ordine præpostero collocatæ fuerint. Propterea non temere Gassendus pronuntiavit, Astra nullum extra se habere, in quem decidant, inferiorem locum.

Immo vero quum ea sint ad motum suapte

natu-

natura comparata, motuſque ipſorum, ſupra quam credibile eſt, ſit velox atque concitatus, iccirco, ſi Gaſſendum audimus, rationi conſentaneum eſt, ut ſpatia quæ ab ipſis tranſmittuntur, a quovis corpore vacua & libera ſint, quod motu ſcindi ac dividi oporteat, quodque propterea permeantibus vel tantillum obſiſtat. Porro, ſi tota illa ſpatia corpore aliquo repleta fuerint, quonam pacto radii e lucidis corporibus prodeuntes, aut ex opacis redeuntes, inoffenſo, ut ita dixerim, pede ad noſtras uſque regiones pervenire poſſint, exiſtimat, ſatis intellecturum eſſe neminem. Ait enim, hujuſmodi corpus, ſtellas inter & hæc noſtra loca interpoſitum, quantumvis tenue, quantumvis defæcatum, omnique cryſtallo purum longe magis atque pellucidum, contextum tamen e corpuſculis eſſe oportere; quorum unicuique ea vis inerit, atque facultas, quæ exilem radium tranſire prohibeat, ipſumque a recto itinere facillime avertat. Nam ſi aër hic noſter, olim quum ſudum eſt, imbreſque ac nives magna copia deciderunt, quamquam liquidiſſimus apparet, e longinquo tamen ſpectantibus (16) opacitatem quamdam contrahere videtur; (ejus enim corpuſcula quæ remotiora ſunt, exiguos illos meatus paullatim occludunt qui a propioribus ejus particulis liberi ac patentes relinquebantur) quid ſentiendum erit de immenſo aliquo corpore æthereo, inter ſidera oculoſque noſtros collocato? Fingamus enim, ætherem decies, immo centies, immo millies aëre hoc noſtro puriorem eſſe; ea tamen eſt ſpatiorum immanitas, ut ipſum tandem

dem aere opaciorem effici necesse sit; atque ita stellis offusum, aut earum aspectum nobis eripere, aut saltem sub caligine quadam exhibere. Quod vero ceteri philosophi necessarium omnino existimant, sidera inter ac terræ globum, corpoream quamdam naturam interjectam esse, ne tanta sit rerum naturalium disjunctio; pernegat Gassendus, ullam requiri conjunctionem, mutuumve nexum inter duo tota quorum in eo natura consistit, ut unum ab altero maxime distet: ejusmodi autem, siderum atque telluris esse naturam. Si quis tamen obstinato animo contendat, corpus aliquod interjectum esse oportere; id profecto ea tenuitate futurum est, qualem vix cogitatione assequi possumus. Hanc porro sententiam, quæ Gassendo probabilis admodum visa est, postremis hisce temporibus Isaacus Newtonus, philosophus & mathematicus celeberrimus, acerrime propugnavit in opere quod inscripsit: *Philosophiæ Naturalis Principia Mathematica*. Cur enim planetæ perpetuo & æquabili motu circumferantur, neque ab orbitis suis umquam deflectant, hanc esse caussam voluit, quod per inania Cæli spatia moveantur, neque in ullum aliud corpus impingant. Nam, ut ipse docet, hæc natura est impetus impressi, ut in corpore moto constantissime permaneat, nisi cum alio communicetur.

Ceterum, illud animadversione dignum mihi videtur, Gassendum, tametsi pæne omnia suæ philosophiæ decreta ab Epicuri, ejusque interpretis Lucretii fontibus derivaverit, de spatio tamen inter Solem terramque porrecto ab illis longe dissen-

sensisse: quod certe spatium Lucretius libro 2. de Rerum Natura non omnino ἀσώματον atque inane esse docet, his versibus: (17)

Nunc quæ mobilitas sit reddita materiäi
Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
Primum Aurora novo quum spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quam subito soleat Sol ortus tempore tali
Convestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promtu, manifestumque esse videmus.
At vapor is quem Sol mittit, lumenque serenum,
NON PER INANE MEAT VACUUM: *quo tardius ire*
Cogitur, aërias quasi quum diverberet undas:
Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter se, conque-globata:
Quapropter simul inter se retrahuntur, & extra
Officiuntur, uti cogantur tardius ire.
At, quæ sunt solida primordia simplicitate,
Quum per inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris; atque ipsa suis e partibus unum,
Unum in quem cœpere locum, connixa feruntur:
Debent nimirum præcellere mobilitate;
Et multo citius ferri, quam lumina Solis,
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore quo Solis pervolgant fulgura cælum.

Comparat poeta mobilitatem atomorum per immensum inane discurrentium, cum celeritate radiorum Solis: atque ita ratiocinatur: Si tanta est luminis quod Sol mane diffundit, celeritas, ut, quamvis ei æther, vel aër medius non pa-

rum obsistat, momento pæne temporis nocturnam caliginem undique discutiat; quanta propterea primis corpusculis velocitas tribuenda est, quibus libere volitantibus nihil usquam occurrit quod eorum itineri moram atque impedimentum afferre possit?

Nemo, ut opinor, inficiabitur, argumenta quæ paullo ante memoravimus, ingeniose admodum ac sollerter a Gassendo excogitata fuisse. Certe enim, si astra propriis motibus in Cæli spatiis corporeis atque immotis ferrentur, non ea porro pergerent velocitate qua pergunt: & saltem longissimis sæculorum intervallis motus eorum tardior fieret. Neque puncto prope temporis tanta exsisteret luminis propagatio, quantam reapse exsistere miramur. Corpus enim illud interpositum, quamquam summa tenuitate, ob immane tamen intervallum, radiis corporeis (saniores enim philosophi, luminis radios non sine corpore esse, jam docent) impedimento esset, quominus ad terram momento pervenirent. Ad hæc tamen incommoda ex natura tollenda ὑπόθεσις Gassendi minime necessaria est; quum præsertim ea corporum omnium colligationi adversetur, inani videlicet spatio inter illa relicto. Nam & qui Cælos ex materia constare docent, eosque fluxos & liquentes esse contendunt; de quorum doctrina non ita multo post verba faciam; ii & rerum universarum conjunctioni consulunt, & idoneam caussam afferunt, cur sidera tam celeriter moveantur, & cur lumen tam subito per immensa Cæli ac terræ spatia diffundatur. docent

enim,

enim, ſtellas non per immotam Cæli materiam diſcurrere, ſed cum ea ſimul circumagi: neque radios luminis ab æthere ipſo diſtinguunt, ſed in eo potius conſiſtere oſtendunt: quod cujuſmodi ſit, ſuo loco declarabimus.

Altera ὑπόθεσις de Cæli natura, ſpatium illud omne quod ſtellas inter atque elementorum regionem porrigitur, ſolidiſſimo ac duriſſimo quodam corpore plenum eſſe ponit, ſed cryſtalli, aut aquæ in glaciem concretæ ſimillimo; ne ſcilicet aliquis miraretur, id adeo pellucidum & perſpicuum eſſe. Hanc opinionem defendit olim Anaximenes, qui nempe Cælum cryſtallo, ſidera clavis cryſtallo infixis comparabat. Hujus etiam patrocinium ſuſcepit Empedocles, (18) ut quidem Plutarchus tradit libro 2. de Placitis Philoſophorum capite 11. his verbis: Ἐμπεδοκλῆς (φησὶ) στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανὸν, ἐξ ἀέρος συμπαγέντος ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς, τὸ πυρῶδες καὶ ἀερῶδες ἐν ἑκατέρῳ τῶν ἡμισφαιρίων περιέχοντα. i. e. *Empedocles* (ait) *Cælum eſſe ſolidum, glaciei in modum ex igne ab aëre compactum, quod igneam aëriamque naturam in utroque globi ſemiſſe contineat.* Sunt etiam qui Anaximandrum Mileſium, philoſophum vetuſtiſſimum, popularem ac diſcipulum Thaletis, ſoliditatem Cælo tribuiſſe ſcribant (19); ex quo tamen certo colligere non poſſis, ei placuiſſe, cæleſtia corpora ex duriore aliqua materia conſtare, ſed tantum ex ea quæ corruptioni & diſſolutioni, propter ſoliditatem, haudquaquam obnoxia eſſet. Non etenim quæcumque ſunt ſolida, & plagæ vim reſpuunt, dura continuo cen-

ſeri debent; ſiquidem & Epicurus atomos illas ſuas omnino ſolidas inducit, ac propterea corruptionis expertes, quæ tamen efficiendi corpora mollia, immo & fluentia, aërem puta & aquam, facultate præditæ ſint. Utrum vero ita ſentientibus Claudium Ptolemæum, inſignem illum antiquorum temporum Aſtronomum, annumerare oporteat, necne, minus mihi compertum eſt. Nam Cæli quidem ſoliditas, ad cæleſtium orbium, epicyclorum præcipue, apparatum & machinationem ſtruendam in primis idonea eſt; quorum ope Ptolemæus motus aſtrorum accuratius explicare & ſupputare ſibi viſus fuerat. Nonnullam tamen dubitationem afferunt ea verba quæ apud ipſum legere eſt μεγάλης συντάξεως l. 13. cap. 2. & recitantur Latine a Gaſſendo Phyſicæ ſect. 2. lib. 1. cap. 1. καὶ μὴ μόνον, inquit, περὶ τοὺς κατὰ μέρος κύκλους τὸ τοιοῦτον εὐοδεῖν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς σφαίρας αὐτὰς καὶ τοὺς ἄξονας τῶν περιφορῶν, ὧν καὶ αὐτῶν τὴν ἐν ταῖς διαφόροις κινήσεσι συμπλοκὴν καὶ ἐπαλληλίαν ἐν μὲν ταῖς κατασκευαζομέναις παρ᾽ ἡμῖν εἰκόσιν ὁρῶμεν ἐργώδη καὶ δυσπαρείσον πρὸς τὸ τῶν κινήσεων ἀκώλυτον, ἐν δὲ τῷ οὐρανίῳ μηδαμῇ μηδαμῶς ὑπὸ τῆς τοιαύτης μίξεως ἐμποδιζομένην. i. e. *Ipſa in medio ſuperando facilitas* (Græce τὸ εὐοδεῖν) *non circulis tantum peculiaribus convenit, verum etiam ſphæris, circumductionumque axibus; quorum quidem in motibus variis implexionem, permixtionemque mutuam, creare videmus in his noſtris quæ apparamus, ſpeciminibus & laborioſam & difficilem exhibendis motibus libertatem: at vero in cæleſtibus haudquaquam, nulloque modo creatur ex iſta commix-*

mixtione impedimentum. Quibus verbis Ptolemæus non obſcure ſignificat, nullos in Cælo *excentricos* orbes, nullos epicyclos, nullos axes, nullas planetarum orbitas eſſe, cujuſmodi vel mente fingere, vel machinis arte paratis exprimere licet; ſed quum libera omnino ſint, fluxa, & liquida Cæli ſpatia, ſtellas ipſas vario inter ſe poſitu, accedentes puta, recedenteſque, ac (20) tamquam ad numerum choreas ducentes, illa omnia præſtare unde inſtrumentum ac ſupellectilem veteres Aſtronomi ſibi comparaverunt. Porro ſupremæ illius mundi regionis duritiem ac ſoliditatem Divinarum quoque Litterarum auctoritas tueri videtur: in libro enim Jobi, cap. 37. (ut alia plura teſtimonia prætermittam) legimus, *Cælos* a Deo conditore *ſolidiſſimos*, *quaſi ære*, *fuſos eſſe*. Verum ſi quis attentius totum locum perpendere & conſiderare voluerit, inveniet, ea verba non ab ipſo Deo, vel a Jobo prolata, ſed ab Eliu Jobi amico, qui cum eo colloquebatur. Hunc autem paullo poſt, tamquam inepte ac ſtulte locutum, ipſe Deus increpat. Hæc enim occurrunt initio cap. 38. *Reſpondens autem Dominus Job de turbine, dixit: Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?*

Ceterum, hanc ſententiam apud Græcos, Eudoxus Platonis familiaris maximopere propugnavit, teſte Ariſtotele Primæ Philoſophiæ lib. 14. (alias 12.) cap. 8. (21); qui ſcilicet, quum animadvertiſſet, motum ſiderum diurnum, ſive ab ortu in occaſum procedentem, omnium cæleſtium corporum eſſe communem, at nihilominus

planetas proprio motu ab occaſu in ortum contendere; cenſuit iccirco, diurnum motum ſtellis inerrantibus per ſe convenire, quas motu alio nullo cieri, falſo exiſtimabat: moventur enim & ſtellæ fixæ tardiſſimo quidem, ſed tamen vero motu, quemadmodum planetæ, ab occaſu in ortum. Planetis autem motum ab occidente in orientem proprie ac per ſe congruere opinatus eſt: communem porro illum & diurnum, nonniſi κατὰ συμβεβηκός; quod videlicet ab orbe ſtellarum fixarum in eaſdem partes continenter abducerentur. Quum tamen vidiſſet, inerrantium ſtellarum motum cum errantibus communicari nullo modo poſſe ſi ſpatia Cæli fluxa & liquentia eſſent; regionem quidem fixarum unum orbem ſolidum ac firmum eſſe voluit, in quo ſtellæ omnes, tamquam in rotæ alicujus apſide clavi, depactæ forent: illius autem fornici, ut ita loquar, orbem alium accommodavit, qui priorem omni ex parte contingeret, & cui Saturni ſtella quodammodo illigata eſſet: tum intra ſecundi hujus orbis cavum, tertium poſuit, qui ſtellam Jovis ſecum ferret: atque ita deinceps uſque ad orbem Lunæ, quæ, ut ait Cicero libro VI. de Republica, in Somnio Scipionis, *citima terris, ultima Cælo eſt*. Hos autem planetarum orbes impetu primi Cæli abripi voluit Eudoxus, ut tamen peculiari quodam motu ei ſemper obniterentur. Quam Eudoxi doctrinam, paucis quibuſdam immutatis, Callippus tuendam & ornandam ſuſcepit: deinde vero Ariſtoteles, ut perhibent, tantam ei conciliavit auctoritatem, ut duûm millium

lium annorum ſpatio a Peripateticis, in rebus certiſſimis & omnino exploratis numerata ſit; nimirum uſque ad Tychonis tempora.

Hic enim, quum novam ſtellam in Caſſiopeæ ſidere deprehendiſſet; cometas porro non in aëre, ut Ariſtoteles Meteorolog. lib. 1. capp. 6. & 7. falſo opinatus fuerat, ſed ſupra Lunam poſitos eſſe, quemadmodum olim tradiderant (22) Anaxagoras atque Democritus, & Seneca ipſe (23) ſuſpicabatur, ac modo in altiora loca, modo in humiliora liberrime ferri, & quaquaverſus evagari, certiſſimis matheſeos regulis cognoviſſet; philoſophos propterea monuit, ut Cæli ſoliditatem deinceps in fabellas referrent. Cujus moniti fides tunc eſt confirmata quum primum Aſtronomi animadverterunt, Martem eo tempore quo telluri propior eſt, ſive περίγειος, infra Solem deſcendere: quod nulla ratione fieri poſſet ſi cæleſtes orbes ex duriore aliqua materia, puta cryſtallina, conſtarent: neceſſe enim eſſet, Martem e ſphæra ſua in Solis orbem ſolidum, atque immenſa profunditate, penetrare. Ad hæc, niſi ſpatia Cæli fluxa & pervia forent, quomodo Venus jam citra Solem conſiſteret, jam ultra progrederetur, jam ad latus ejus incederet? quod ex mutabili ejus aſpectu certiſſimum eſt. quomodo Jovis & Saturni comites circum eos planetas ferrentur? quomodo maculæ in Solis facie ab Aſtronomis notatæ eum continenter ambirent? Videtis igitur, niſi fallor, Auditores, hanc ὑπόθεσιν rationi pariter atque experientiæ adverſari. Præterea, luminis radii non ea ſane celeritate dif-

L 4 fun-

funderentur ac propagarentur qua nunc eos diffundi & propagari videmus: corpus enim illud cryſtallinum, quamvis nitidiſſimum, eos profecto aliquantum remoraretur, & fortaſſe a recto curſu detorqueret. Deinde, quum Sol in oppoſito nobis ἡμισφαιρείῳ noctu detinetur, & radios tamen confertiſſimos in ſuperius hoc ἡμισφαίρειον jaculatur, facile admodum contingere poſſet, ut radii, centum quidem, aut etiam ſexcentos cæleſtis corporis meatus inoffenſi tranſirent, ſed tandem impedimentum aliquod meatibus interpoſitum offenderent, a quo retorquerentur: atque iccirco neceſſe omnino eſſet, innumerabilem radiorum reflexorum multitudinem in oculos noſtros incurrere, & noctem in diem quodammodo converti; quod nihilominus reapſe non contingit.

Neque illud quidem argumentum quod affert Gaſſendus loco ſæpius memorato, adverſus hujus opinionis patronos, mihi videtur ſilentio prætereundum. Quum enim ob id potiſſimum cæleſtes orbes inducant ſolidos, ut inferiores a ſuperioribus facile in eaſdem partes abducantur, oſtendit vir ingenioſus, hoc nullo modo fieri poſſe. Nimirum & ſupremus ille orbis, & ceteri omnes qui ſupremo continentur, exquiſitius formati, & quaſi torno politi, circa commune centrum volvi debebunt. Nihil igitur præſto erit majoribus orbibus, unde abripiant minores, aut in illos vim ſuam exerceant, quamvis ipſos proxime contingant; ſuperficies enim concavæ mirum in modum æquabiles ac læves, lubrico lapſu convexas, pari æquabilitate ac lævore præditas, prætervehen-

hentur, neque in eas impetum facere, neque longius propellere, neque secum abducere ullo modo poterunt. Quod si devitandi hujus incommodi caussa, cælestium orbium partes aliquas eminere, aliquas hiare fingamus, ut scilicet eminentes lacunosis excipiantur, eoque subsidio sphæræ inferiores a superioribus, tamquam injectis harpagonibus naves, prorsum trahantur; id statim vitium consequetur, ut planetarum orbibus regressu prohibitis, proprioque motu penitus destitutis, unus tantum in Cælo motus, nempe diurnus, relinquatur.

Ceterum, tametsi Aristoteles cælestia corpora interitus omnino expertia esse, luculente admodum docuerit; non tamen æque manifestum est, ipsum existimavisse, ea solida esse, & quasi crystalli instar obtinere, vel aquæ in glaciem concretæ. Enimvero locum aliquem in quo Aristoteles id aperte contendat, monstrari mihi velim: nondum enim reperire potui. Quod sane si litteris mandasset, non obscure secum ipse pugnavisset: crystalli enim natura terrena est, ac multum opaci admixtum habet: philosophus autem libro 2. de Anima cap. 7. docet, corpora cælestia summe pellucida esse; tum illud sæpius inculcat, Cæli qualitates ab elementorum qualitatibus differre plurimum. Neque Malebranchius, acerrimus alioquin Aristotelis inimicus, hanc opinionem ipsi objecit, cap. 5. lib. 6. de Inquirenda Veritate, ubi libros ejus de Cælo, de Ortu item atque Interitu, refellit, contemnit, irridet: quod certe facere haudquaquam neglexisset si hujusmo-

di

di ſententiam ipſi tribui poſſe arbitratus eſſet. Non tamen valde negaverim, multa Ariſtotelem in his de Cælo diſputationibus peccaviſſe, quod videlicet nullam, vel certe parvam admodum, Aſtronomiæ operam dederit: quam vix a limine videtur ſalutaviſſe.

Venio nunc ad tertiam de Cæli natura ſententiam, quæ recentiorum pæne omnium philoſophorum communis eſt. Horum itaque temporum philoſophi, ſpatium illud vaſtiſſimum atque immoderatum, ſtellas inter ac tellurem diffuſum, ex materia quidem conſtare docent, ſed illa fluxa, ſpirabili, & mirum in modum attenuata; cui etiam, auræ æthereæ, ſive ætheris aut aëris puriſſimi, maximeque ſubtilis, nomen impoſuere: qui nimirum ſi cum aëre hoc noſtro, quem ducimus, comparetur, tanto eum tenuitate antecellit, quanto ipſe aër noſter aqua rarior ac tenujor eſt. Quæ tamen opinio, ſi verum fateri volumus, & priſcis nonnullis philoſophis, in primis (24) Anaxagoræ, (25) Democrito, (26) univerſæ Stoicorum familiæ, pluribus etiam (27) Catholicæ Eccleſiæ Patribus tribuenda eſt: qui ſaltem inferius Cælum, in quo ſtellæ vagæ, ſive planetæ, curſus & converſiones ſuas conficiunt, ex agitabili quadam tenuique materia compoſitum eſſe exiſtimavere. Placuit porro Anaxagoræ, Democrito, eumque ſecuto Epicuro, quum ſolidos orbes e medio ſuſtuliſſent, unum eſſe omnium ſtellarum motum, qui nempe ab ortu in occaſum tendat: videri autem planetas contraria via orientem verſus procedere, quod a ſuperiorum

ſide-

ſiderum incredibili celeritate, ipſi ſegniores, ad eam regionem relinquantur. Hujus doctrinæ ita meminit Lucretius l. 5. v. 620.

Nam fieri vel cum primis id poſſe videtur,
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit:
Quanto quæque magis ſint terram ſidera propter,
Tanto poſſe minus cum Cæli turbine ferri.
Evaneſcere enim rapidas illius, & acres
Imminui ſubter vires, ideoque relinqui
Paullatim Solem cum poſterioribus ſignis,
Inferior multo quod ſit quam fervida ſigna:
Et magis hoc Lunam, & quanto dimiſſior ejus
Curſus abeſt procul a Cælo, terriſque propinquat,
Tanto poſſe minus cum ſignis tendere curſum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur
Inferior quam Sol, tanto magis omnia ſigna
Hanc adipiſcuntur, circum, præterque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad ſignum quodque reverti
Mobilius videatur, ad hanc quia ſigna reviſunt.

Neque vero tenuis hujuſmodi atque ſubtilis materia, ex qua philoſophi paullo ante memorati Cælum contextum eſſe volunt, ita continua cenſeri debet, ut foraminibus omnino careat; quemadmodum olim (28) Franciſcus Lana eam cogitatione finxerat: qui quum Cælum nulli mutationi neque corruptioni obnoxium ſtatuiſſet, iccirco ex nullis atomis, ſive particulis figura præditis, illud conſtare affirmavit: quod ſcilicet atomi exiguas quaſdam vias inter ſe relinquere ament, ex quibus diſſolutionem & corruptionem tandem conſequi neceſſe ſit: corpora enim propterea diſſolvi atque retexi, quod eorum particulæ magis *conti-*

guæ,

guæ, quam continuæ ſint, atque adeo facillime ſitum atque ordinem mutare poſſint. Sed quum radii Solis & ſiderum per Cæli ſpatia tranſeant, & ad nos uſque ferantur, manifeſtum eſt, Cælum non eſſe corpus ita continuum, ut omni prorſus meatu deſtitutum ſit. (29) Corpus enim hujuſmodi, quamquam tenuiſſimum, & mire ſubtile, radiorum luminis tranſitum profecto magis impediet quam corpus aliquod cryſtalli ſimile, in quo vias aliquas radiis patentes eſſe fingamus. Propterea Lanæ ſententia nullo modo propugnari poteſt.

Præſtat igitur, aut ego fallor, Carteſii doctrinæ adhærere, quam ad φαινόμενα facilius explicanda, nonnulli ejus ſectatores aliquantulum immutaverunt. Veriſimile itaque exiſtimant Carteſiani, in ipſa mundi creatione atque exordio, ſpatium illud Cæli nullis prope terminis circumſcriptum, a rerum omnium conditore ac parente Deo, corpore quodam fluxo atque incredibilis tenuitatis, repletum fuiſſe; quod corpus ex particulis quibuſdam ſolutis, & punctis materiæ *contiguis* conſtet: quæ puncta rotunda figura eſſe, ac inſtar globulorum habere, opinantur, ut ſcilicet impulſui magis obſequi poſſint. Hujuſmodi autem puncta, eo motu qui eſt ad rectam lineam, pulſa vel preſſa, luminis ſenſum in animalium oculis excitant. Quem pulſum materiæ cuidam ſumme attenuatæ, & in omnem partem admirabili celeritate agitatæ, tribuere ipſis placet: qua nulla tenujor, nulla mobilior eſſe, aut excogitari poſſit: deveniendum enim tandem eſt ad ali-

quod

quod motus principium; neque ſine fine ulterius procedendum. Ab hac vero materia & ſpatia illa exigua quæ inter globulos æthereos comprehenduntur, accurate impleri; & ab eadem in certis mundi locis ingenti copia collecta, rerum opifice ita jubente, lucida illa & nobiliſſima corpora, Solem nimirum & ſtellas fixas, maximam partem componi opinantur.

Ut tamen hæc doctrina veritati proxima ſit, illud vix intelligi poteſt, quomodo in Sole, & in reliqua illa ſtellarum inerrantium multitudine, ſola vigeat materia ſubtilis, nulla re ſolidiore ſuffulta, quæ ipſam contineat, prohibeatque ne dilabatur: præſertim quum philoſophi fere omnes aſtrorum corpora magis compacta, denſa, & ſtipata eſſe velint quam ſint Cæli ſpatia, in quibus feruntur. Nam corpora omnia vere pellucida, & colore deſtituta, quæ nullos luminis radios in adverſam partem reflectunt, & propterea oculorum aciem fugiunt, rariora & leviora ſunt, quam corpora opaca, & colorata, quæ quum lumen vel aliunde in ipſa incidens, vel ex ſua natura profectum, ulterius tranſire prohibeant, ejus radios retorquent, & iccirco a nobis videri poſſunt. Aër porro, & multo magis æther corpora ſunt vere pellucida, neque ſub aſpectum cadentia: contra, corpora lucida, ignita, & flammam emittentia, in quibus aſtra numerantur, ſunt opaca, & colore infecta, quum & a nobis videantur, neque res alias poſt ſe collocatas videri patiantur. Manifeſtum igitur eſt, aëris & ætheris quam ignis & ignitorum corporum

rum materiam esse rariorem. Semper enim ignis ad terrestrem aliquam gravioremque naturam adhærescit, in quam scilicet vim suam exercet, & quæ ipsi alimentum ac sedem præbet. Quapropter non adeo inepta existimanda est (30) Anaxagoræ opinio, quam postea suffragio suo comprobavit (31) Democritus; natura nimirum terrestri stellas esse: ignemque post primam illam elementorum separationem, quum ad loca sua discessisset, terræ partes nonnullas ad se pertraxisse, utque igneam naturam referrent, effecisse. Ex quo colligebat, Solem massam aut lapidem esse immensæ magnitudinis, igni candentem. Sed hæc hactenus.

Primam igitur, & ab ipso Deo profectam, materiæ tenuissimæ agitationem, *lucem* Cartesiani appellant: ex ea vero ortum ad rectam lineam, ætheris circumfluentis, in omnes partes impulsum, *lumen*, & *luminis radios* nominare consueverunt. Quæ quum ita sint, Solis propterea & reliquorum globorum lucem emittentium radii, dum ab origine sua profecti, ad oculos nostros pervenire nituntur, nihil offendunt quod ipsis impedimento sit, vel moram faciat, quominus momento temporis longe lateque diffundantur. Etenim spatia illa vastissima, sideribus lucidis interjecta, non alio corpore plena sunt quam æthere tenuissimo, sive punctis æthereis se se mutuo contingentibus: quæ puncta sunt ipsum luminis vehiculum, ut ita loquamur; pulsuque a corporibus lucidis accepto, ipsos luminis radios constituunt: atque ideo æther & radii non sunt

duæ

duæ res inter ſe diverſæ, neque æther ullo modo radiis permeantibus obſiſtit; id quod Gaſſendus verebatur. Deinde, ſi aliqua ratione admirabilis velocitas luminis intelligi aut comprehendi poſſit, hujus tantummodo ὑποθέσεως auxilio videtur comprehendi poſſe: ὑπόθεσις enim Gaſſendi alias quidem difficultates evitat, quæ jam a nobis memoratæ ſunt: at explicandæ cauſſæ, cur lumen, temporis prope puncto per ingentia Cæli terræque ſpatia diſcurrat, minus profecto idonea eſt. Nam ſi ſpatia illa vacua eſſent, cujuſmodi ea fingit Gaſſendus, luminis corpuſcula quæ primum e ſideribus effluxiſſent, nonniſi ingenti intervallo temporis terram contingere potuiſſent. Æthereas igitur lineas animo concipere licet, a lucidis ſtellarum corporibus continenter pulſas, tamquam rigida quædam bacilla, vel tentos funiculos: qua ſimilitudine, ad hanc ipſam rem explicandam, uſi quondam fuerunt etiam Simplicius, & Joannes Philoponus, (32) celeberrimi Ariſtotelis interpretes. Hoc autem ætherearum linearum pulſu ſemel probato, facile declarari poteſt, cur terra, Luna, & planetæ reliqui, quos omnes opacos eſſe ſatis conſtat, Solis radiis objecti tantopere ſplendeant: niſum ſcilicet earumdem linearum, quæ ad illos recta feruntur, opacitate ſua ſiſtunt, & contraria via ad oculos noſtros detorquent: quo fit, ut imperitis hominibus, ſenſus luminis in ipſis excitatus, ab his corporibus, tamquam ab origine, adveniſſe, falſo videatur.

Atque hæ ſunt, Auditores, præcipuæ maximeque

meque celebres de Cæli natura opiniones. Possem & alias minus vulgatas in medium afferre: quas tamen libenter prætermitto, & quod infirmis admodum argumentis nitantur, & ne humanitate vestra diutius abutar. Existimo autem, quæ dixi, satis futura ad studiosorum adolescentium ingenia nonnihil acuenda, ut minus imparati, Aristotelis nostri decreta quum audire, tum æquis judiciis perpendere possint: cujus primum librum de Cælo, Deo dante, vobisque faventibus, proxima schola interpretari aggrediar.



AN-

ANNOTATIONES IN SUPERIOREM ORATIONEM.

(1) *Ptolemaicas tabulas*] Quæ in libris μεγάλης συντάξεως, nempe *Magnæ Constructionis*, sive *Almagesti*, Claudii Ptolemæi, Astronomorum apud veteres principis, passim occurrunt.

(2) *Alphonsinas*] Eas Alphonsus X. Castellæ & Legionis Rex, cognomine Sapiens, ingenti sumtu confici curavit, & in vulgus edidit A. C. 1252. Quum ipse Astrologiam egregie calleret, ad illas tamen parandas doctissimos quosque Mauros, Arabas, & Judæos rerum cælestium cognitione florentes Toletum convocavit, eorumque opera usus est. Ceteris præstabat Rabbi Isaac Hazan, quem Hispalenses Judæi earum tabularum verum auctorem perhibent. Porro Alphonsini multa in hypothesibus Ptolemaicis immutaverunt.

(3) *Prutenicas*] Auctore Erasmo Reinholdo Salveldiensi, qui eas Alberto Marchioni Brandeburgico, Ducique Prussiæ, Stetini, ac Pomeraniæ, anno 1551. dicavit Tubingæ. In his vero condendis, & Copernici numeris emendandis totos septem annos consumsit.

(4) *Danicas*] Quas nimirum Christianus Severini Longomontanus Danus composuit, Tychonis in Astronomia instauranda socius, & strenuus adjutor; Mathematum vero publicus Doctor in Academia Hafniensi. Editæ sunt cum ejus Astronomia Danica Amsterodami 1621.

(5) *Rudolphinas*] Quas e Tychonis Brahæi observationibus fere depromtas Joannes Keplerus divulgavit anno 1627. & Rudolphi II. Cæsaris, cu-

jus in aula floruerat, nomine insignivit. Vide Petrum Gassendum lib. 4. de vita Peireskii.

(6) *Lansbergianas*] Ita dictas a Philippo Lansbergio Gandavensi, qui eas edidit Middelburgii anno 1632.

(7) *Philolaicas a Bullialdo concinnatas*] Ismael Bullialdus, Astronomus excellentissimus, edidit Astronomiam Philolaicam Parisiis 1645. adjectis tabulis.

(8) *Streetianas*] Quæ exstant in Astronomia Carolina nova Thomæ Streetii Angli. Id opus Joannes Gabriel Doppelmayr in Latinum sermonem vertit, ediditque Norimbergæ 1705.

(9) *Hirianas*] Jussu Ludovici XIV. Galliæ Regis a Philippo de la Hire, illustri Mathematico, elaboratas, editasque Parisiis anno 1702.

(10) *Quas natura longissimo intervallo* &c.] Plurimis maximisque difficultatibus obstructam esse rerum cælestium cognitionem, neque Aristoteles ipse dissimulavit; cujus hæc verba sunt cap. 3. l. 2. de Cælo: *καίπερ πόῤῥωθεν πειρωμένοις ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν· πόῤῥω δ' οὐχ' οὕτω τῷ τόπῳ, πολὺ δὲ μᾶλλον τῷ τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς (οὐρανοῖς) πέρι, πάμπαν ὀλίγην ἔχειν αἴσθησιν. Quamquam*, inquit, *eminus facere inquisitionem conamur, eminusque non adeo loco, sed multo magis hoc ipso, quod eorum quæ accidunt ipsis Cælis, tenuem valde sensum habemus*. Hic autem animadvertendum est, Aristotelem sensuum judicio & periclitationi multum tribuere in exquirenda rei cujuslibet corporeæ veritate. Nisi enim rerum *φαινόμενα*, nimirum ea quæ in rebus apparent, & in earum prima quasi fronte locata, in sensus nostros incurrunt, probe cognita atque explorata habuerimus, inanes omnino *ὑποθέσεις* de natura constituemus, ingeniique acumine ac sollertia nimium abusi, somnia tantum levesque conjecturas am-

amplectemur. Recte igitur Lucretius lib. I. v. 423.

Corpus enim per se communis deliquat esse
Sensus: quo nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit, occultis de rebus quo referentes,
Confirmare animi quicquam ratione queamus.

Communem sensum appellat Lucretius (ut id παρέργως moneam) sensum omnium hominum, quibus ideo persuasum sit, corpora esse, quod ea videant, audiant, manu tangant. Ceterum varietatem ac difficultatem quæstionum ad cælestia corpora pertinentium uberrime exponit Philo Judæus ἐν τῷ περὶ ὀνείρων, *in libro de Insomniis*; ex quo locum insignem, quamquam longiusculum, proferre non gravabor, qui legitur etiam, sed Latine tantum, apud Petrum Gassendum Physicæ sectione 2. lib. 2. cap. I. ὁ δ᾽ οὐρανὸς, ait Philo, *ἀκατάληπτον ἔχει τὴν φύσιν, οὐδὲν ἑαυτοῦ σαφὲς γνώρισμα πρὸς ἡμᾶς ἀποστείλας. τί γὰρ ἂν εἴποιμεν, ὅτι πεπηγώς ἐστι κρύσταλλος ὡς ἠξίωσάν τινες, ἢ ὅτι πῦρ τὸ καθαρώτατον, ἢ ὅτι πέμπτον κυκλοφορητικὸν σῶμα, μηδενὸς τῶν τεττάρων στοιχείων μετέχον; τί δ᾽ ἡ ἀπλανὴς καὶ ἐξωτάτω σφαῖρα; πρὸς τὸ ἄνω βάθος ἔχει, ἢ αὐτὸ μόνον ἐστὶν ἐπιφάνεια βάθους ἐρήμη, τοῖς ἐπιπέδοις σχήμασιν ἐοικυῖα; τί δ᾽ οἱ ἀστέρες; πότερον γῆς εἰσὶν ὄγκοι πυρὸς πλήρεις; ἄγκεα γὰρ καὶ νάπας καὶ δρυμοὺς διαπύρους εἶπον αὐτοὺς εἶναί τινες, αὐτοὶ δεσμωτηρίου καὶ μύλωνος, ἐν οἷς τὰ τοιαῦτ᾽ ἐστὶν ἐπὶ τιμωρείᾳ τῶν ἀσεβῶν, ὄντες ἐπάξιοι· ἢ συνεχὴς καὶ ὥς εἶπέ τις, πυκνὴ ἁρμονία, πιλήματα ἀδιάλυτα αἰθέρος; ἔμψυχοι δὲ καὶ νοεροὶ ἢ νοῦ καὶ ψυχῆς ἀμέτοχοι; προαιρετικὰς δὲ, ἢ κατηναγκασμένας αὐτὸ μόνον κινήσεις ἔχοντες; τί δὲ σελήνη; πότερον γνήσιον, ἢ νόθον ἐπιφέρεται φέγγος, ἡλιακαῖς ἐπιλαμπόμενον ἀκτῖσιν, ἢ καθ᾽ αὐτὸ μόνον ἰδίᾳ, ἢ τούτων οὐδέτερον, τὸ δ᾽ ἐξ ἀμφοῖν, ὡς ἂν ἐξ οἰκείου καὶ ἀλλοτρίου πυρὸς κρᾶμα. πάντα γὰρ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα τοῦ τετάρτου καὶ ἀρίστου τῶν ἐν κόσμῳ σώματος ὄντα οὐρανοῦ, ἄδηλα καὶ ἀκατάληπτα στοχασμοῖς καὶ εἰκασίαις, οὐ παγίῳ*

λόγῳ τῆς ἀληθείας ἐφορμῶνται, ὥς τε κἂν ὀμόσαι τινὰ θαῤῥήσαντα, ὅτι θνητὸς οὐδεὶς πώποτε ἰσχύσει τούτων ἐναργῶς καταλαβεῖν οὐδέν. i. e. *Cælum naturam habet quæ comprendi non poteſt; nullamque ſui notitiam manifeſtam ad nos uſque tranſmittit. Quid enim dicamus? eſſe illud concretam glaciem, ut nonnulli cenſuerunt? an ignem puriſſimum? an quintum aliquod corpus, cujus proprium ſit in orbem moveri, nullius ex quatuor elementis particeps? Quid illa inerrans, & omnium extima ſphæra? an ſuperius profunda eſt, an vero nihil aliud eſt quam ſuperficies craſſitudinis expers, planarum figurarum ſimilis? Quid porro ſtellæ? utrum ſunt maſſæ quædam terreæ igne plenæ? quidam enim dixerunt, eas valles eſſe, ſaltus, ac ſilvas ignitas, ipſi carcere ac piſtrino digni, in quibus hujuſmodi ſunt, ad pœnam impiorum, comparata. An ſunt continua quædam, &, dixerit aliquis, denſa compages, puta ſpiſſamenta ætheris non diſſolubilia? Sunt ne animatæ intelligenteſque, an mentis & animæ expertes? Voluntarios ne motus, an tantummodo coactos habent? Quid Luna porro? verum germanumque, an nothum præfert lumen? quod ſolaribus radiis illuceat, an propriis? An horum neutrum eſt? ſed potius quoddam ex duobus temperamentum, ex proprio nimirum igne, & alieno? Hæc enim omnia & ſimilia, quæ ad quartum, idque præſtantiſſimum, mundi corpus, nempe Cælum, pertinent, incerta, & quæ comprehendi nequeant, conjecturis & ſimilitudinibus, non ſolidæ veritatis rationi innituntur, ut jurare quis auſit, mortalium neminem ullo tempore quicquam horum manifeſto percipere poſſe.*

(11) *Pindarus*] Verba ſunt poetæ: *μηκέθ' ἁλίου σκόπει Ἄλλο θαλπνότερον Ἐν ἁμέρᾳ φαεινὸν ἄστρον, Ἐρήμας δι' αἰθέρος Ne amplius Sole contempleris Aliud quod magis foveat, Interdiu lucidum aſtrum, deſertum per ætherem.* Noctu enim cælum frequens eſt muititudine

dine ſtellarum, nec proprie *deſertum* appellari poteſt; interdiu autem, fulgente Sole, ac reliquorum ſiderum luce penitus oppreſſa, vacuum quodammodo apparet. Quam veram & germanam loci hujus explicationem vetus Pindari Scholiaſtes non ſatis pervidit.

(12) Ariſtoteles tamen Gaſſendo non facile concederet, inane ſpatium trajectioni radiorum a ſtellarum corporibus uſque ad oculos noſtros quicquam prodeſſe. Etenim cap. 7. lib. 2. de Anima, Democriti opinionem valde improbat, qui docuerat, ſi totum illud intervallum quo nos a Cælo diſtamus, inane fieret, nimirum ab omni corpore vacans, fore, ut per inane hujuſmodi optime videre poſſemus quodlibet corpus vel minimum in Cælo poſitum, puta minimam formicam. Hanc vero ſententiam Ariſtoteles ita refellit. Certum eſt, ait, nos videre non poſſe niſi viſus noſter extrinſecus moveatur ad videndum ab aliquo corpore. Viſus porro non patitur, neque movetur ab ipſo colore, nullo corpore interjecto inter colorem & viſum: ſiquidem corpus coloratum ſi ponatur ſupra ſenſum videndi, non efficit viſionem. Propterea igitur videmus, quod viſus patiatur, contingatur, & moveatur ad videndum a corpore interjecto, nimirum a pellucido illuminato, per quod propagatur atque diffunditur ſpecies, ſeu ſimilitudo coloris. Igitur ſi ſpatium interjectum ab omni corpore vacaret, nihil omnino cerni poſſet. Colligit propterea, pellucidum corpus, quod Græci vocant διαφανὲς, radiorum luminis ὄχημα, ſeu vehiculum eſſe.

(13) *Galilæus*] Syſtematis Coſmici Dialogo 1.

(14) *Vel illa ſemper in eodem loco detineat*] Hujuſmodi eſt motus planetæ circa proprium axem. Porro vera loci mutatio nihil aliud eſſe videtur, ſi rem accuratius perpendas, quam mutatio diſtantiæ mobilis a centro. Ingentia autem mundi cor-

pora quæ moventur in orbem, numquam mutant distantiam suam a centro, quum semper ab eo æquis intervallis distent. Ingentia igitur mundi corpora quæ moventur in orbem, numquam vere mutant locum.

(15) *Nam si nullum habuerit*] Aristoteles libro 1. de Cælo cap. 7. Εἰ ἀδύνατον γενέσθαι λευκὸν, ἢ πηχυαῖον, ἢ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ γίνεσθαί τι τούτων ἀδύνατον. ἀδύνατον ἄρα καὶ φέρεσθαι ἐκεῖ, οὗ μηδὲν δυνατὸν ἀφικνεῖσθαι φερόμενον. i. e. *Si impossibile est, album quippiam esse, aut cubitale, aut in Ægypto; & fieri quicquam horum impossibile est. Impossibile est igitur, & illuc etiam quicquam ferri quo nullum corpus pervenire potest quod fertur.*

(16) *opacitatem quamdam*) Hoc φαινόμενον eleganter expressit Valerius Flaccus l. 1. Argonauticon v. 496. ----- *donec jam celsior arbore pontus,*

Immensusque ratem spectantibus abstulit aër.

(17) Versu 141.

(18) Quam sententiam Empedoclis videtur floccifacere Lactantius in libro de Opificio Dei, cap. 17. *An*, inquit, *si mihi quis dixerit æneum esse Cælum, aut vitreum; aut, ut Empedocles ait, aërem glaciatum; statimne adsentiar, quia Cælum ex qua materia sit, ignorem? sicut enim hoc nescio, ita illud scio.*

(19) Joannes Stobæus Eclog. Physic. cap. 14.

(20) *ac tamquam ad numerum choreas ducentes*] Vide Platonem in Timæo tomo 3. pag. 40. litt. C.

(21) Verba sunt Aristotelis: Εὔδοξος μὲν οὖν, ἡλίου καὶ σελήνης ἑκατέρου τὴν φορὰν ἐν τρισὶν ἐτίθετο εἶναι σφαίραις. ὧν τὴν μὲν πρώτην, τὴν τῶν ἀπλανῶν ἄστρων εἶναι· τὴν δὲ δευτέραν, κατὰ τὸ διὰ μέσων τῶν ζωδίων· τὴν δὲ τρίτην, κατὰ τὸ λελοξωμένον ἐν τῷ πλάτει τῶν ζωδίων. ἐν μείζονι δὲ πλάτει λελοξῶσθαι, καθ' ὃν ἡ σελήνη φέρεται, ἢ καθ' ὃν ὁ ἥλιος. &c. i. e. *Eudoxus igitur Solis & Lunæ, utriusque latio-*

nrm

nem in tribus posuit sphæris esse: quarum quidem primam eam esse quæ non errantium stellarum: alteram vero secundum id quod per medium zodiacum: tertiam porro secundum eum qui in latitudine zodiaci obliquatur: in majori autem latitudine obliquari eum secundum quem Luna fertur, quam secundum quem Sol. &c.

(22) Vide Ricciolium lib. 8. Almagesti Novi sect. 1. cap. 6. n. 5.

(23) Seneca Natur. Quæst. l. 7. cap. 21. *Placet ergo nostris*, inquit, *cometas, sicut faces, sicut tubas, trabesque, & alia ostenta Cæli, denso aere creari. Ideo circa Septemtrionem frequentissime apparent, quia illic plurimum est aëris pigri.* & rursum cap. 22. *Ego nostris non assentior. Non enim existimo cometen subitaneum ignem, sed inter æterna opera naturæ.*

(24) Vide Plutarchum de Placitis Philosoph. lib. 2. c. 13. item Aristotelem l. 1. Meteorolog. c. 3.

(25) Vide Laertium l. 9. in vita ejus.

(26) Lucilius Balbus, disciplinæ Stoicorum maxime addictus, ita loquitur apud M. Tullium l. 2. de Natura Deorum: *Nec vero stellæ eæ quæ inerrantes vocantur, non significant eamdem mentem atque prudentiam: quarum est quotidiana, conveniens, constansque conversio: nec habent æthereos cursus, neque Cælo inhærentes, ut plerique dicunt physicæ rationis ignari: non est enim ætheris ea natura, ut vi sua stellas complexa contorqueat. nam tenuis, ac perlucens, & æquabili calore suffusus æther, non satis aptus ad stellas continendas videtur.*

(27) Lege præter ceteros D. Ambrosium Hexaemeri l. 2. c. 51. Consule item Ricciolium Almagesti Novi lib. 9. sect. 1. cap. 7.

(28) *Franciscus Lana*] Operum Volum. 2. lib. 8. Prop. 31.

(29) Huic simillimum argumentum occurrit a-

pud Sextum Empiricum Pyrrhoniarum Hypotyposeon libri 2. cap. 12. cujus hæc verba sunt : *Εἰ ῥέουσι διὰ τῆς ἐπιφανείας ἱδρῶτες, εἰσὶ νοητοὶ πόροι. ἀλλὰ μὴν τὸ πρῶτον, τὸ δεύτερον ἄρα. τὸ γὰρ ῥεῖν τοὺς ἱδρῶτας ἐκκαλυπτικόν ἐστι τοῦ πόρους εἶναι, διὰ τὸ προειλῆφθαι ὅτι διὰ ναστοῦ σώματος ὑγρὸν οὐ δύναται φέρεσθαι.* i. e. *Si fluunt sudores per superficiem, sunt pori quos mente percipere possumus : atqui prius est, ergo & posterius. Nam fluere sudores est declarativum hujus, videlicet poros esse: quod præconcepta sit in animo illa opinio, per solidum corpus humidum non posse ferri.*

(30) Achilles Tatius Isagoge in Arat. cap. 11. Plutarchus de Placitis Philosoph. lib. 2. cap. 20.

(31) Plutarchus ibidem.

(32) Joannis Philoponi, cognomine Grammatici, verba sunt, ex Commentario in caput 7. libri 2. Aristotelis de Anima : *ὥσπερ, εἴ τις σχοίνου τῆς μακρᾶς καὶ διατεταμένης τὸ ἄκρον κινήσειε, πᾶσα ἡ σχοῖνος ἀχρόνως συγκινεῖται, διὰ τὴν τῶν μορίων συνέχειαν, τοῦ προτέρου κινοῦντος τὸ ἑπόμενον· οὕτω δεῖ νοεῖν καὶ ἐπὶ τῆς τοῦ φωτὸς ἐνεργείας γίνεσθαι, διὸ πάντα ἐφεξῆς τὰ τοῦ κόσμου σώματα ἀλλήλων ἅπτεσθαι.* i. e. *Quemadmodum si quis funiculi longi distentique extremum moverit, funiculus totus, sine ulla temporis interjecta mora, unà movetur, propter partium continuationem; dum scilicet antecedens quæque sequentem commovet : ita concipere oportet in actione quoque luminis rem habere, quod omnia mundi corpora se invicem deinceps contingant.* Eadem fere legere est apud Simplicium in eumdem locum Aristotelis: nisi quod Simplicius non funiculi, sed baculi potius comparatione utitur.



Viro

Viro Illustriss. atque Excellentiss.

ALOYSIO PISANO

EQUITI,

ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

TRIUMVIRO ACAD. PATAV. CURANDÆ,

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

Q*UÆ me caussæ impulerint, ut Orationem hanc meam, liberam profecto, & a vulgi auribus abhorrentem, qua non inscitiæ vel ignaviæ patrocinium suscepi, sed nimiam tantummodo scientiæ fiduciam cohibere ac retundere studui; tuo potissimum Nomine*, ALOYSI PISANE *Senator Amplissime, insignitam edere ausus fuerim, paucis exponam. Audieram a viris gravibus, & quotidiana experientia confirmari videbam,* TE *bono Immortalis Reipublicæ natum, plura præstare semper quam polliceri, neque inanium verborum strepitu, sed illustrium factorum splendore delectari: propterea non alienum tua dignitate futurum existimavi si eorum Philosophorum defensionem ad* TE *deferrem qui quum ingenii humani imbecillitatem, in Rebus præsertim Physicis, & agnoscant, & libenter fateantur, nihil magnum promittentes, id tamen agunt (quod mihi multo pulcherrimum videtur) ut errores & opinionum fallacias omni ope & contentione devitent. Ad hanc singularem caussam aliæ magis communes accesserunt. Cogitabam scilicet,* TE *unà cum Sapientissimis Triumviris*

ris Collegis tuis Gymnasio Patavino consulere, ac dare operam ut id omnibus ornamentis abundet: eosque in primis homines præmiis & beneficiis complecti qui non voce solum, sed monumentis etiam litterarum famam ejus apud exteras nationes amplificare ac propagare numquam cessant. Quamvis igitur scripta mea, pusilla & humilia, usque ad seram posteritatem victura esse non sperem; TE *tamen otii mei rationem accipere velim:* TE, *si non ingenium, at saltem laborem, diligentiam, & conatus meos judicio & suffragio tuo gravissimo comprobare. Deinde testimonium aliquod exstare cupio ex quo intelligi possit, quanti faciam humanitatem illam tuam, probitatem, liberalitatem, animi constantiam secundis & adversis rebus spectatam, nobiles item Legationes quas olim pro Patria magnificentissime obivisti: quantum* CAROLI *Fratris tui, Summi Viri, Ædis* D. MARCI *Procuratoris, novam dignitatem, veteremque gloriam suspiciam: quantum* PISANÆ *Genti, antiquitate, honoribus, opibus, virtute militari, civili prudentia florentissimæ, a me jure tribuatur. Quæ si recensere singula aggrediar, ineptus fortasse videar: satis enim lucent ipsa per se, atque in orbis terræ theatro maxima celebritate versantur. Quod igitur unum superest, id ab Immortali Deo precabor, ut quæcumque in posterum sapienter deliberabis, ea* TIBI *fauste ac feliciter eveniant. Vale.*

Patavio. Kalendis Decembribus Anno DOM. cIↄ Iↄ cc xxxii.

ORA-



ACADEMICORUM, ET SCEPTICORUM PHILOSOPHIÆ RATIONEM

non esse in Physica omnino repudiandam:

O R A T I O,

Habita in Gymnasio Patavino VIII. Idus Novembr.
ANNO DOM. MDCCXXVIII.



UOD felix faustum fortunatumque sit, eam aggredimur hoc anno disputationem quæ tum argumenti dignitate, tum rerum copia & obscuritate ceteris locis omnibus longe antecellit qui in philosophia tractari solent. Nimirum de Anima dicturi sumus; cujus naturam origine penitus abditam, vi & effectu satis illustrem, philosophi fere omnes ad hanc diem explicare conati, plurimis laboribus, maximis ingeniis vel nihil, vel parum admodum profecerunt. Nam si quid hominem scientiæ gloria ferocem eo demittere potest, ut imbecillitatem suam atque inscitiam

tiam fateatur, id præcipue poteſt, quod rem ſibi conjunctiſſimam; qua vivit, ſentit, cognoſcit, dijudicat, immo potiorem ſui partem, vehementer ignoret. Neque vero eorum philoſophorum temeritati levitatique coërcendæ ac reprimendæ quos, veterem Græciam ſecuti, (1) δογματικὰς appellamus, præſtantius ullum remedium eſt, ſi modo ſanabili morbo laborant, quam ſi cogitare voluerint, tantam inter ipſos de Senſuum Animique natura diſſenſionem, apertiſſimum contra ipſorum decreta teſtimonium dicere. Quum enim pro ſententia cujus patrocinium ſemel ſuſceperunt, tamquam pro mœnibus & liberis, ſingulæ eorum familiæ cum adverſariis manus conſerunt; neque tamen illos æque contumaces, & paribus rationum momentis innixos de gradu dejicere, aut ad ſe traducere poſſunt: oſtendunt vel inviti, nullam eſſe in rebus hujuſmodi certam judicandi aſſentiendique notam, qua verum à falſo internoſcatur. Clamant quidem ſæpius, (2) veritatem ſe inveniſſe, alioſque reprehendunt, quos in tenebris verſari, & a recta philoſophandi via nimium aberrare arbitrantur: ſed quum idem ſit omnium clamor, par jactatio, eadem in omnes convicia, incertus animi pendeas, quibus potiſſimum te adjungas: & poſtquam ſingulas opiniones cognoveris, ex incerto incertior fias. Quoniam vero decipi, ſapientiæ ſtudium profeſſo valde inhoneſtum eſt; turpiſſimum, in errore deprehendi; propterea bis peccant; & quod rebus incognitis, tamquam cognitis, fidem habentes, in errorem facile inducuntur, & quod domeſticorum

tan-

tantummodo ſuffragiis probati, quin a ceteris omnibus hebetes, inepti, inſani denique vocentur, non laborant. Quæ ſane incommoda nullo negotio devitarent, niſi, naturam hominis plus æquo admirati, in ſenſibus & mentis acie eam facultatem reponerent qua & veritatem aſſequi ſe, & ingentium Dei operum conſilium atque rationem penitus intelligere poſſe confidunt. Enimvero non negaverim, a Deo Optimo Maximo egregii muneris loco vim cogitandi homini tributam eſſe: qua maxime diſtamus a feris, qua virtutem, & quæ ex virtute apta eſt, felicitatem adipiſcimur, (3) qua privatas publicaſque res optime adminiſtramus, qua noſtræ noſtrorumque ſaluti conſulimus: at neque facile conceſſerim, poſſe nos, quamdiu corporis contubernio utimur, & cum perturbationibus luctamur, hoc tantulo ingenio ita verum videre, ut nuſquam labamur, nihil opinemur, nulla veri ſimilitudine illudamur. Laudet Epicurus, quantum volet, ſenſus: rerum judicia in ipſis ponat: contendat etiam, ſi diis placet, ubi ſemel aliquid falſi pro vero ſenſibus probatum ſit, jam omne diſcrimen veri & falſi ſublatum eſſe: (4) Democrito tandem iraſcatur, a quo pleraque ſumſit; quod homo eruditus, & geometriæ peritiſſimus, Solem multis partibus terra majorem eſſe dixerit: ipſe enim bipedalem cenſet, nempe tantum fere, quantus videatur. Accedant reliqui dogmatici, minus inſanientes quam Epicurus; copias omnes contrahant, ut integros incorruptoſque ſenſus, admonitamque ab iis rationem, ſummos verita-

tis

tis disceptatores ac judices esse defendant: ego interea, quod ingenii mei tarditatem probe agnoscam, hisce naturæ interpretibus hodierno die valere jussis, ad Academicos & Scepticos, non transfuga, sed speculator, parumper divertam, suspiciosum, at minime pertinax philosophorum genus; qui multa de re qualibet in utramque partem disputantes, vix quicquam statuere aut affirmare audent: satisque sibi placent quum aliqua probabilia invenerunt, quæ sequantur, & quorum ope vitam regant: alieno siquidem periculo docti, nihil magis cavent quam ne fallantur, aut fallant. Date mihi hanc veniam, obsecro, Auditores, ut hodierna luce eorum hominum temeritatem atque arrogantiam non ferendam qui rerum sublimium atque occultissimarum numeris omnibus absolutam cognitionem profitentur, cum aliorum gravitate ac prudentia comparem qui, solum Deum sapientem arbitrati, veri comprehensionem ab homine tollunt, eumque rebus commentitiis, cujusmodi sunt pleraque decreta philosophorum, temere assentiri vetant. Non id autem nobis propositum est, ut oratione hac nostra, ex doctissimorum virorum fontibus hausta, physicas quæstiones exterminari oportere doceamus; quod & per se absurdum esset, & muneri nostro contrarium: verum, ut bona spe adolescentes, a sophistarum præstigiis expeditos, in viam solidæ eruditionis deducamus; ne deinceps ullius auctoritate frangantur, sed libero judicio usi, omnium opiniones cognoscant, de omnibus dubitent, sequantur probabiliora; ac demum,

mum, quod M. Cicero ſolebat, (5) *& refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſint.*

Veteres igitur Phyſici, quorum veſtigiis plurimi etiam recentiorum inſiſtunt, neque naturæ obſcuritate, neque rerum cognoſcendarum multitudine, neque ſenſuum ac mentis anguſtiis deterriti; putaverunt, in homine eam facultatem ſitam eſſe, ut non ſolum in vita communi, ſed etiam in cauſſis quibus rerum univerſitas continetur, induſtria & labore adhibito, quid veriſſimum eſſet, eruere, atque invenire poſſet. Speraverunt ſcilicet id quod optabant; & quum ſe diſcendi quærendique delectationi toto animo dedidiſſent; hujuſque gratia, omnia quæ vulgus permagni æſtimat, contemſiſſent, viſi ſunt ſibi uberrimum vigiliarum & duritiæ fructum retuliſſe, veritatis inventionem. Unuſquiſque propterea quæ privatim cogitaverat, in medium proferebat: & quamvis inter ipſos nulla eſſet opinionum & ſententiarum concordia, ea tamen re non admonebantur ut, humanam infirmitatem reputantes, ingenio ſuo diffidere inciperent: ſed (6) tamquam concilio Jovis interfuiſſent, ita de rerum principiis, de cæli natura & proprietatibus, de ſtellarum magnitudine, de fato, de diis immortalibus apud imperitum vulgus diſſerebant. Quapropter Epicurus ille, qui, naturæ arcana a ſe penitus introſpecta, magnifice gloriabatur, ita deſcribitur a Lucretio lib. 1. v. 69.

Quem nec fama deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cælum, ſed eo magis acrem
Virtu-

Virtutem irritât animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Processit longe flammantia mœnia mundi:
Atque Omne immensum peragravit mente, animoque:
Unde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique cuique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.

Ut igitur ad hominem ex longinqua peregrinatione domum reversum amicorum concursus fieri solent; ex quo nimirum situs urbium, fluminum opportunitates, animalium & stirpium varietatem, templorum ædiumque privatarum speciem, populorum mores, mulierum formas, & id genus alia cupidissime sciscitantur; ita philosophos e cæli regionibus nuper ad terram delapsos, vel potius edormientes, juventus adibat, interrogatura, (7) quæ Lunam gentes incolerent, quod pondus astrorum, quæ figura esset, qui planetarum ordo inter se. utrum sidera inerrantia, quemadmodum in aqua pisces, per tenuissimum ætherem suopte motu ferrentur, an ab ipso cælo circumacta & orirentur, & occiderent: mundusne conversione sua concentum ederet; atque utrum finibus contineretur, anne omnino interminatus esset. Ad quæ omnia viri sapientes, ore durissimo, contractoque supercilio statim respondebant, ita rem quamque definientes, ut discipulis auctoritate commotis omnem contradicendi libertatem eriperent. Quos autem ab ipsis dissentire cognovissent, hos in physicis plane plumbeos,

beos, & ludibria verius quam philoſophos eſſe affirmabant. Videtis, niſi fallor, Auditores, confidentiam hominum atque audaciam: cujus utinam hoc noſtro tempore ſublatum eſſet exemplum. Occurrunt enim in plateis, in tabernis, in angiportis, qui, quaſi conjuratione facta, ſuo quodam jure ſapientiam vindicent; (8) *qui eſſe primos ſe omnium rerum velint*, *nec ſunt*; qui nihil metuunt magis quam ne aliquid neſcire, aut ulla de re dubitare exiſtimentur. A quorum quidem conſuetudine me vehementer abhorrere non diſſimulabo; id enim mihi perſuaſi, præclare actum iri nobiſcum qui philoſophiæ ſtudiis delectamur, ſi in tanta rerum caligine, judiciorumque imbecillitate, vel exiguam veri ſcintillam umquam eliciamus, quod extra opinionum aleam poſitum ſit, & quod labefactari diſputando non poſſit. De vero enim hujuſmodi, conſenſus eſſe debet non vulgi, ſed eorum qui ſapientes habentur. id enim tantummodo verum fuerit quod ſanis & cordatis omnibus videbitur. Nam ſi quod tu verum arguis, ille falſum oſtendat: ſi utraque ſententia probabilibus argumentis fulta ſit: cur tibi, quæſo, de veritatis inventione blandiaris? cur fidem facere poſtules? cur tibi impudenter arroges, qua de re litem alius intendit, homo perinde ac tu, & liber, & ſanus, & philoſophus?

At unam modo rem in phyſicis mihi monſtrari velim de qua omnium philoſophorum idem ſit judicium, conſtans, atque perpetuum. Quid motu evidentius, quid illuſtrius, quid magis explo-

ratum, ſi ſenſus in conſilium adhibeas? videmus enim, ſtellas inerrantes atque planetas aſſidua rapi vertigine; litora æſtu maris reciproco modo contegi, modo nudari; plantas adoleſcere, atque a minimo ſemine in altitudinem tolli; animalia omnis generis hac & illac vagari, ut ſibi cibum & latibulum quærant; denique nihil uſquam conſiſtere: inventus tamen eſt Zeno Eleates, vir acutus, (9) qui motum aut eſſe, aut eſſe poſſe pernegaret: quique παράδοξον hoc ſuum iis argumentis muniret quæ inexplicabilia viderentur. Zenoni autem conſenſerunt (10) Parmenides atque Meliſſus, non infimæ claſſis philoſophi, qui docuerunt, Id omne quod eſſet, unum eſſe, motus etiam ac mutationis expers: præterea (11) Diodorus Cronus.

Commune Peripateticorum decretum eſt, Omnia in rerum univerſitate corpora ita conferta & ſtipata eſſe, ut nullus Inani locus relinquatur: Peripateticis de hac re ſuffragatur Carteſius. Democritus contra, eumque ſecutus Epicurus omni ope Inane defendunt; ajunt enim, Sublato Inani ex rerum natura, motum quoque funditus interire. Utraque concluſio validiſſimis rationibus confirmatur: neutra tamen vim adverſariorum ſuſtinere poteſt: neque ſatis apparet, quæ potiſſimum eligenda, quæ rejicienda ſit.

Jam ad alia tranſeamus. Philoſophi quidam Galli, excellenti ingenio atque doctrina, præſertim vero ſcriptor celeberrimus qui Artem Cogitandi monumentis litterarum mandavit, id tamquam certiſſimum δόγμα ponunt; (12) Doloris, volu-

voluptatis, ſitis, famis, reliquarum item cupiditatum affectionumque noſtrarum in animis conſignatas notiones, quas ipſi ἰδέας appellare amant, obſcuras eſſe atque confuſas; cujus etiam rei cauſſas diligenter perſequuntur. Quid ad hæc Cyrenaici præceptore Ariſtippo? Hi nimirum, ſi (13) M. Tullium audimus, teſtem idoneum, tantum ab hac ſententia abhorrebant, ut contra, Ea ſe ſola percipere dicerent quæ tactu intimo ſentirent, dolorem videlicet ac voluptatem: in quo tactu ſolo putabant veri eſſe judicium, quia ſentiretur: negabant autem eſſe quicquam quod percipi poſſet extrinſecus. Ipſi quoque (14) Pyrrhonii, qui de rebus obſcuris nullum decretum ponebant, ſenſui tamen caloris & frigoris, & harum ſimilibus affectionibus, tamquam per ſe cognitis, aſſentiebantur.

Claudius Galenus, vir profecto maximus, neque ſolum medicinæ, verum etiam omnis liberalis doctrinæ ſtudiis florentiſſimus; quem aridi & puſilli homunciones, a ſolida eruditione prorſus imparati, & (15) *rem compacto agentes, quaſi in Velabro olearii*, hoc noſtro tempore adeo contemnunt; libros de Uſu Partium humani corporis, pulcherrimos atque utiliſſimos conſcripſit: in quibus (16) Dei providentiam extollit, quæ quum alias mundi partes, tum præcipue ſingula hominis membra admirabili plane ſapientia, incredibilique ſollertia molita ſit. Quemadmodum vero Galenus hanc pietatem (17) e Stoicorum libris hauſerat; ita pleroſque Anatomen profeſſos aſtipulatores habuit. Sed ecce tibi ſomniorum a-

mator Epicurus, qui hæc minime probet, neque se ineptire, sed egregie sapere arbitretur quum docet, (18) Non esse oculos, aures, linguam, manus, crura, pedes, & ea quæ sunt intus in corpore, propter eorum usum a diis immortalibus homini tributa: quoniam scilicet hujusmodi membra prius nata sint quam esset usus videndi, audiendi, loquendi, contrectandi, ambulandi, atque spirandi: sed potius, quum corpus humanum (ut reliqua omnia, ipsius Epicuri judicio) fortuito atomorum concursu effectum esset, invenisse postea homines membrorum usum, quæ ipsis nullo deorum consilio aut beneficio contigissent. Adversus quod opinionis portentum plura disputat Christianus auctor Lactantius in libro de Opificio Dei.

Nihil autem magis miremini, Auditores, quam quod idem Epicurus Geometriam, Græcorum ingeniis tantopere excultam, summoque in honore apud ipsos semper habitam, omnino contemserit; quod scilicet geometricas rationes, quæ non persuadent, sed vim afferunt in docendo, a falsis initiis profectas diceret. Tanta vero fuit hominis auctoritas (incertum quibus artibus comparata; neque enim aut eloquentia, aut subtilitate differendi valebat) ut (19) Polyænum, familiarem suum, magnum mathematicum, in eamdem sententiam secum trahere potuerit, ut eum temporis quod in hujusmodi studiis consumsisset, pœniteret. Porro id Epicuro cum Pyrrhoniis philosophis commune erat; quorum argumenta ad Geometriam evertendam collegit atque explicavit

Sex-

Sextus Empiricus libro 3. adverſus Mathematicos.

Dies me deficeret ſi ea ſingillatim perſequi oratione vellem quæ quum a nonnullis philoſophorum vera ac manifeſta judicata fuiſſent, aliis tamen æque doctis dubia, falſa, inepta, ridicula viſa ſunt. Quod pulchre Lucianus ille Samoſatenſis duobus verſiculis comprendit:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακειδὸν ἐστι νόημα·
Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως. ſcilicet:
Haud in conſeſſo eſt placitum mortalibus ullum:
Sed tibi quod mirum eſt, ridiculum eſt aliis.

Et ante Lucianum Cicero de Amicitia: *Quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt qui pro nihilo putent.* Quum igitur tam facile contingat, homines hallucinari, dum ſibi quiſque favet in cogitando, & ſua nimis amplexatur atque oſculatur; non injuria (20) M. Tullius Clitomacho credidit ſcribenti, *Herculis quemdam laborem exantlatum a Carneade*, novæ Academiæ principe, a quo ipſe Clitomachus fuerat inſtitutus, *quod ut ſeram & immanem belluam, ſic ex animis noſtris aſſenſionem, id eſt opinationem, & temeritatem extraxiſſet.* Jam enim tempus eſt, ut Dogmaticorum vanitate ſatis conſiderata, ad Academicos & Scepticos veniamus.

Academia originem duxit a Socrate, qui, ut ſophiſtas errore inflatos, & omnium rerum ſcientiam profeſſos, urbane retunderet, Id ſolum ſe ſcire affirmabat, (21) nullam rem ſibi cognitam eſſe. *Ideo dictus* εἴρων, teſte Quinctiliano Inſtitut. Orator. lib. 9. cap. 2. *id eſt agens imperitum, & admirator aliorum, tamquam ſapientum.* Porro

quum hæc inſcitiæ confeſſio philoſophis a Socratis diſciplina profectis minus placuiſſet, ac diu ſine honore jacuiſſet, Arceſilam tandem, ſive Arceſilaum, Pitanæum ex Æolide, acerrimo ingenio virum, defenſorem invenit. Hic vero (22) ne illud quidem quod unum fuerat a Socrate exceptum, certo ſciri poſſe ajebat, Nos videlicet nihil ſcire. Tantis enim tenebris mentem hominis obſitam & circumfuſam eſſe, ut vim ſuam penitus ignoraret, ac etiamſi forte fortuna in verum incideret, tamen, illud verum eſſe, minime aſſeverare poſſet: quod nimirum nulla eſſet propria veri & falſi nota. Adverſus omnium opiniones diſputabat: &, quum vera ſuſtuliſſet, veriſimilia & probabilia inducebat, quibus perinde in vita atque in philoſophia utebatur. Ab (23) Arceſilæ ſucceſſoribus hanc de rebus omnibus dubitandi conſuetudinem, quaſi per manus traditam, Carneades accepit: ab eoque novis cogitatis emendata & aucta, poſtremo ad Philonem atque Antiochum pervenit. Scholæ vero faciem Antiochus non parum immutavit, qui quum veterem Academiam, ut fuerat a Socrate inſtituta, ſe inſtauraturum polliceretur, in Stoicorum decretis, quorum aſſiduo convicio premebatur, tandem acquievit. Hinc inuſitata quædam, & ſui prorſus diſſimilis Academia prodiit, tamquam (24)

Diverſum confuſa genus panthera camelo.

Hactenus de Academicis: jam de Pyrrhoniis, quos & Scepticos vocant, nonnulla dicamus. Pyrrhoniorum ſecta nomen & originem debet Pyrrhoni Eleo Pliſtarchi filio, qui, e pictore philoſophus,

sophus, Drysone primum, seu potius Brysone, ut contendit Menagius ad Diogenem Laertium, deinde Anaxarcho Abderite præceptore usus est. Sed eorum postea, & quorumlibet dogmaticorum auctoritate contemta, nihil certo sciri posse affirmavit, & in utramque partem de omni re proposita disputare instituit: neque hoc tamen ipsum tamquam plane certum docuit, neque in vita communi Scepticum egit (quod aliqui falso tradiderunt); sed legibus & consuetudinibus patriis obtemperans, vitam ad ultimam senectutem tranquille ac suaviter produxit. Ab ejus disciplina profecti sunt, Timon Phliasius, qui quum alia plura, tum Sillorum tres libros conscripsit, contumeliosum & petulans poematis genus; in quibus, ut Scepticum hominem decuit, philosophos omnes qui certi aliquid ponebant quod tuerentur, veteris comœdiæ licentiam imitatus, probris & maledictis vexavit: Hecatæus Abderites, Eurylochus, Nausiphanes Tejus, quem ab Epicuro auditum ferunt, & alii nonnulli. Pyrrhonis autem sectatores (25) appellati sunt etiam *Sceptici* ἀπὸ τοῦ σκέπτεσθαι, *a considerando*, unde σκέψις, *consideratio*, quod nullum considerandi finem facerent, & nihil statuerent: nec non *Ephectici*, παρὰ τὸ ἐπέχειν περὶ τῶν πραγμάτων, καὶ δογματίζειν αὐτὰ ἀκατάληπτα, ut placet Suidæ: i. e. *a retinendo assensu de rebus, docendoque, eas comprehendi non posse*: item *Zetetici*, ἀπὸ τοῦ ζητεῖν, *a quærendo & investigando*, unde ζήτησις, ζήτημα, *quæstio*; quod semper quærerent, sine ulla veri inveniendi spe: denique *Aporetici*, ἀπὸ τοῦ περὶ παν-

τὸς ἀπορεῖν; *quod* ſcilicet *de omni re dubitarent*. (26) Quum vero Pyrrhonis diſcipuli e vita exceſſiſſent, ejus diſciplina diutius abjecta & intermiſſa jacuit, donec illam Ptolemæus Cyrenæus, a mortuis, ut ita dixerim, excitaret. Hujus auditores fuerunt Dioſcorides Cyprius, Niolochus Rhodius, Euphranor Seleucenſis, & Praylus ex Troade. Euphranorem porro Eubulus Alexandrinus audivit: ab hoc inſtitutus eſt Ptolemæus Alexandrinus, cujus e ſchola Sarpedon & Heraclides prodierunt. Heraclidis Æneſidemus Gnoſſius diſcipulus fuit, plurium librorum auctor qui ad Pyrrhonis doctrinam illuſtrandam pertinebant. (27) Hic, e Scepticorum præceptis non modo ἀφασίαν, ϗ ἀπραξίαν, i. e. *abſtinentiam ab affirmando, & vacuitatem perturbationis*, ut olim Timon, verum etiam ἡδονὴν, *voluptatem* plane conſequi, ajebat. Æneſidemum præceptorem habuit Zeuxippus Polites, hunc Zeuxis ὁ γωνιόπους, ita dictus quod ſtrabo eſſet, Zeuxin Antiochus Laodicenſis. Antiochi auditores fuerunt Menodotus Nicomediæ natus, medicus Empiricus, & Theodes Laodicenſis. Menodotus inſtituit Herodotum Tarſenſem: Herodoto magiſtro uſus eſt Sextus Empiricus, quo auctore etiam hac noſtra ætate circumferuntur πυῤῥωνιῶν ὑποτυπώσεων, ἢ σκεπτικῶν ὑπομνημάτων βιβλία τρία, *Pyrrhoniani Compendii, ſive Inſtitutionum Scepticarum, libri tres:* præterea, πρὸς τοὺς μαθηματικοὺς ἀντιῤῥητικοὶ λόγοι δέκα, *adverſus Mathematicos*, nempe diſciplinarum doctores, *libri decem*. Poſtremo, Sexti auditor fuit Saturninus Cytheneus, & ipſe Empiricus.

ricus. Ceterum, Pyrrhonis, quemadmodum & Aristonis, & Herilli, de virtute ſententiam, ſuo tempore jampridem exploſam fuiſſe, teſtatur Cicero lib. 1. de Officiis; quod *rerum* nullum *delectum reliquiſſent, ut ad officii inventionem aditus eſſet*. (28) Ætate demum Juliani Imperatoris Pyrrhoniam diſciplinam obſoletam, & oblivione pæne ſepultam fuiſſe, tum Pyrrhoniorum pleroſque libros intercidiſſe, ex fragmento quodam operis ipſius Juliani ſatis conſtat.

Duas autem graviſſimas cauſſas Academici & Sceptici habuere, quamobrem certam abſolutamque ſcientiam e medio tollerent: ſenſuum (29) quum externorum tum intimorum infirmitatem, ac rerum ipſarum cognoſcendarum obſcuritatem. Quum enim veritas nihil aliud ſit quam convenientia rei perceptæ cum judicio mentis percipientis; multa propterea ſunt quæ cognitionem dubiam atque incertam faciant. Ac primum omnium, ad veritatem obtinendam, ſcire nos oporteret, ſpecies aut imagines corporum extrinſecus advenientes, (30) ſi tamen ullæ ſunt hujuſmodi imagines) (31) omnino ſimiles eſſe corporibus unde prodeunt. Deinde nobis exploratum eſſe deberet, aerem, vel aliud corpus interjectum, per quod rerum ſimulacra tranſeunt, nihil iiſdem officere, quominus inviolata & integra ad ſenſus ipſos perferantur. Tum certo ſciendum eſſet, a ſenſibus, poſtquam imagine rei commoti atque excitati fuerint, fidem omnino ſervatam, eaque in cerebro, miniſterio nervorum, veſtigia impreſſa fuiſſe quæ rei ſpeciem accurate in ipſo deſcri-

ſcribant. Neque minus cerebri fidem manifeſtam & perceptam eſſe oporteret, dum ab eo mens admonetur. Poſtremo illud vel maxime conſtare deberet, mentem a cerebro admonitam, certam & ſtabilem de re objecta ſententiam tuliſſe. Hæc autem omnia ita comparata ſunt, ut nullo ſtudio, nulla induſtria philoſophus quantumvis acutus argumenta invenire poſſit quibus eorum veritatem oſtendat.

Neque enim rerum imagines rebus ipſis omnino ſimiles eſſe contingit; quis enim dixerit, ſimulacrum Arboris (ut hoc potiſſimum exemplo utamur) nihil omnino ab Arbore ipſa, quam exprimit, diſcrepare? Arbor profecto videri ac manibus tangi poteſt, ſolida eſt, neque loco movetur: contra, ſimulacrum Arboris aciem oculorum fugit, ac tactum reſpuit, quum tenuiſſimum ſit, maximeque fluxum ac mobile. Demus tamen, poſſe rerum naturas, hujuſcemodi imaginibus penitus declarari; nonne corpus quod inter ſenſum ac rem objectam poſitum eſt, varias mutationes accipere ſolet? Non alia certe cauſſa eſt, cur earumdem rerum colores, alii nobis veſperi, alii ſub meridiem videantur: & cur olim purpura Tyria (quod teſtatur (32) Julius Pollux in Onomaſtico) Solis radiis expoſita, hilarius effloreſceret, in umbra vero nitorem prorſus amitteret. Mare item, ſi longe ſpectetur, adventu diei purpuraſcit, tempeſtate ingruente nigreſcit, plerumque cæruleum apparet. (33) Eodem pacto, pro vario lucis appulſu, item pro diverſo oculi poſitu, atque aſpectu, mutari ſolent colores in opalo gemma,

ma, in collis columbarum, in bullis quas pueri excitant ex aqua ſaponi admixta, in ſegetibus vento fluitantibus, in agro piſis conſito, nunc ſecundum longitudinem, nunc oblique ſpectato, in ſericis denique villoſis: quæ res omnes a Latinis propterea *verſicolores* appellantur. Sexcenta ſunt alia generis ejuſdem.

Quod ad ſenſum attinet, eſt quidem ſenſus affectio qua inviti commovemur, atque, ut Pyrrhonii loquuntur, *πάθος ἀβούλητον*: organa vero ſenſuum nullum judicium de rebus exercent, neque in ipſis veritas, aut falſitas locum habere poteſt: tantummodo rerum imagines accipiunt, & quid ſibi appareat, ſumma fide menti exponunt: quemadmodum vero varias notiones (34) componere atque dividere, ita judicare ſolius mentis officium eſt. Quapropter ſenſus quilibet cum Sceptico philoſopho non inepte comparari poteſt, qui, ut ait Sex. Empiricus Pyrrhon. hypotyp. lib. 1. cap. 7. *τὸ ἑαυτῷ φαινόμενον λέγει, καὶ τὸ πάθος ἀπαγγέλλει τὸ ἑαυτοῦ ἀδοξάστως, μηδὲν περὶ τῶν ἔξωθεν ὑποκειμένων διαβεβαιούμενος*. i. e. *quid ſibi videatur, dicit, & affectionem quam ſentit, annuntiat, ſine ulla prorſus opinatione; nihil de iis quæ extra ſunt rebus affirmans*. Quum igitur ſenſuum, teſtimonium ſit, non judicium, age vero, quam illud teſtimonium ſit ſtabile, conſideremus. Profecto, ſenſus ne in uno quidem homine ſemper eoſdem invenimus, nedum in pluribus. Non idem eſt viſus in juvene atque in ſene: (35) non eadem utrique jucunda & moleſta ſunt. *Lurida fiunt, quæcumque tuentur arquati*,

quati, ut ait Lucretius lib. 4. versu 333. nempe morbus immutat aspectum. (36) Formosæ videntur amatoribus eæ mulieres quæ insigni aliquo corporis vitio laborant. Amor scilicet loliginem oculis offundit. In pluribus autem hominibus quanta membrorum varietas est, quibus ad sentiendum utuntur! norunt id medici, qui ea dissecta & aperta viderunt. Ex quo efficitur, sensuum quoque ipsorum dissimilitudinem quamdam esse. Nihil igitur mirum si ea quæ in omnium aspectum incurrunt, diversa tamen singulis haud raro videantur: ut propterea necesse sit, ipsorum experimentorum fidem, quæ firmissima & certissima esse deberet, interdum labare. Audite, quæso, Senecam Naturalium Quæstionum lib. 7. cap. 11. *Illo ipso tempore*, inquit, *quo* (cometæ) *apparent, inter spectantes de habitu illorum non convenit: sed prout cuique acrior acies aut hebetior, ita dicit aut lucidiorem esse, aut rubicundiorem, & crines aut in interiora deductos, aut in latera divisos*. Porro, quemadmodum difficile invenias duos tantum homines eadem omnino facie, iisdem omnino oris lineamentis, cujusmodi erant Menæchmi illi Plautini, (37)

Ita forma simili pueri, uti mater sua
Non internosse posset quæ mammam dabat,
Neque adeo mater ipsa quæ illos pepererat;

quod si aliquando forte contigerit, in prodigiis habetur; sic evenire vix potest, ut in uno atque altero homine par omnino sit oculorum, aurium, viscerum, ac præcipue cerebri conformatio. Quod quidem cerebrum, arx illa mentis, cogitationum-

que

que officina, varios magnitudinis modos obtinet; pro figura ſcilicet, atque ambitu capitis in quo continetur. Plurimi autem refert, humani animi quali in domicilio locati ſint: nec parum ſane momenti habet ad ingenii bonitatem, rationis perfectionem, vimque memoriæ ipſa corporis, & ſingulorum viſcerum temperatio. E ſenſuum igitur, ac (38) cerebri varietate miram judiciorum diſcrepantiam exſiſtere neceſſe eſt: unde tritum illud vulgi ſermone proverbium, *Quot capita, tot ſententiæ.* (39)

Tandem animus hominis, qui ſenſibus utitur, tamquam nuntiis rerum, atque interpretibus: & ad quem demum pertinet veri falſique judicium; quomodo exploratum habebit, ſe illorum teſtimonio haudquaquam circumveniri, aut in errorem induci? quomodo cognoſcet, rem ſibi ſicuti eſt, enarrari? quum ipſe ſui naturam ignoret, neque ſcire poſſit, quibus vinculis cum corpore conjungatur, qua ratione ad ejus motum moveatur, & utrum ex rerum imaginibus ſibi extrinſecus oblatis veritatem ipſi colligere liceat, necne. Quum igitur humani animi natura penitus abſtruſa ſit, ignotæ, quæ naturam conſequuntur, proprietates, (40) jam veri & falſi regula nulla eſſe videtur, ad quam judicia rerum dirigantur: adeoque omnia philoſophorum de rebus obſcuris decreta, ejuſmodi fere ſunt, ut everti diſputatione poſſint.

Hactenus de ſenſuum & mentis infirmitate dictum eſt: nunc de rerum cognoſcendarum obſcuritate paucis agamus. Itaque ſi res ipſas conſidera-

derare aggrediamur, inveniemus, duabus potissimum de caussis, ad intimam earum cognitionem nobis præclusum esse aditum: nimirum quod continenter labantur & fluant omnia, neque quicquam sit in universo quod vel minimo temporis puncto eumdem omnino statum retineat: deinde quia nihil sciri plene ac perfecte potest quin unà sciantur reliqua omnia. Ac Heraclitus quidem rerum inconstantiam & mutabilitatem (41) sapienter flumini comparabat: ajebat enim, qui bis idem flumen intraverit, umquam inventum fuisse neminem: quod videlicet prioribus aquis transeuntibus novæ semper adveniant. ita prorsus accidere, ut quum quis ad rem aliquam cognoscendam animum appellit, ea protinus in aliam faciem se convertat; neque propterea ullum comprehensioni locum relinqui. Corpora enim omnia ex quibus rerum natura constat, vel moveri & mutari pergunt, vel quamvis interdum quiescere videantur, nihilominus occulta quadam vi ad motum & mutationem nituntur. Propterea Plato in eo dialogo quem Cratylum inscripsit, rerum labentium caducarumque naturas intueri propius, atque comprehendere, non humanæ imbecillitatis, at divinæ cujusdam esse sapientiæ, significat: Φερρέφαττα δὲ, inquit, *πολλοὶ μὲν καὶ τοῦτο φοβοῦνται τὸ ὄνομα .... ὑπὸ ἀπειείας (ὡς ἔοικεν) ὀνομάτων ὀρθότητος. καὶ γὰρ μεταβάλλοντες σκοποῦνται τὴν Περσεφόνην, καὶ δεινὸν αὐτοῖς φαίνεται. τὸ δὲ μηνύει σοφὴν εἶναι τὴν θεόν. ἅτε γὰρ φερομένων τῶν πραγμάτων, τὸ ἐφαπτόμενον καὶ ἐπαφῶν, καὶ δυνάμενον ἐπακολουθεῖν, σοφία ἂν εἴη. Φερέπαφα οὖν, διὰ τὴν*

σοφίαν

σοφίαν καὶ τὴν ἐπαφὴν τοῦ φερομένου, ἡ θεὸς ἂν ὀρθῶς καλοῖτο, ἤ τοιοῦτόν τι. δι' ὅπερ καὶ συνέστιν αὐτῇ ὁ ἄδης σοφὸς ὤν, διότι τοιαύτη ἐστί. νῦν δ' αὐτῆς ἐκκλίνουσι τὸ ὄνομα, εὐστομίαν περὶ πλεῖον ποιούμενοι τῆς ἀληθείας, ὥστε Φερρέφατταν αὐτὴν καλεῖν. i. e. Pherrephatta *nomine .... complures terrentur: rectæ ſane nominum imponendorum rationis imperitia. nam mutato nomine,* Perſephones *vocem ſpectant, ac proinde formidabile videtur illis ſuperius illud vocabulum. id autem ſignificat, deam illam eſſe ſapientem. quandoquidem illud ſapientiæ nomine cenſebitur quod in tanta rerum ultro citroque commeantium viciſſitudine, res contingat & palpet, illaſque ſolide comprehendat atque aſſequatur (id eſt* φερομένων πραγμάτων τὸ ἐφαπτόμενον καὶ ἐπαφῶν.) *Dea igitur illa recte vocaretur* Pherepapha, *aut quid ſimile, propter illam* τὴν ἐπαφὴν τοῦ φερομένου, id eſt *comprehenſionem rerum quæ fiunt, atque mutantur; quæ quidem ſapientiæ vi atque efficacia exſiſtit. Itaque Orcus, qui ſapiens eſt, cum illa quæ hujuſmodi eſt, conſueſcit. Nunc vero nominis appellationem paullulum declinant atque inflectunt, elegantis & venuſtæ pronuntiationis rationem habentes magis quam veritatis, &* Pherrephattam *ipſam vocant.* Claudius quoque Ptolemæus, vir ſummus, lib. I. cap. I. μαθηματικῆς συντάξεως, rerum in quarum inveſtigatione Phyſici verſantur, obſcuritatem ingenue confeſſus eſt. Quum enim, Ariſtotelem ſecutus, τρία γένη θεωρητικοῦ, *tria genera contemplativæ doctrinæ* poſuiſſet, *phyſicum, mathematicum, metaphyſicum,* quod ipſe θεολογικὸν appellat: horum duo, nempe *metaphyſicum*

cum & physicum, ait esse potius εἰκασίαν, ἢ κατάληψιν ἐπιστημονικὴν, *conjecturam, quam comprehensionem quæ scientiam efficiat: metaphysicum* quidem, διὰ τὸ παντελῶς ἀφανὲς αὐτοῦ, καὶ ἀνεπίληπτον, *propter ipsius omnino latentem*, (42) *intactilemque naturam: physicum* vero διὰ τὸ τῆς ὕλης ἄστατον καὶ ἄδηλον, *propter materiæ instabilitatem, & obscuritatem*, ὡς διὰ τοῦτο, μηδέποτε ἂν ἐλπίσαι, περὶ αὐτῶν ὁμονοῆσαι τοὺς φιλοσοφοῦντας, *ut propterea numquam sperare liceat, philosophos de his ullo tempore consensuros*. Et hanc esse caussam crediderim, cur Isaacus Newtonus, recentiorum geometrarum facile princeps, Philosophiæ Naturalis Principiorum Mathematicorum lib. 3. in Scholio generali Proposit. XLII. hæc de rerum substantia affirmare non dubitaverit: *Quid sit rei alicujus substantia, minime cognoscimus. Videmus tantum corporum figuras & colores, audimus tantum sonos, tangimus tantum superficies externas, olfacimus odores solos, & gustamus sapores: intimas substantias nullo sensu, nulla actione reflexa cognoscimus*. (43)

Quis porro ullius rei cognitionem plenam atque perfectam sibi assumere audeat, (44) priusquam rerum multitudinem pæne infinitam, quæ hac universitate continentur, animo & cogitatione percurrerit? quæ inter se connexæ adeo & colligatæ sunt, ut nisi omnibus plane perceptis, neque unam percipere atque intelligere possis. Quod si rerum singularum cognitio difficilis habetur, quanto magis omnium? hoc certe humani ingenii modum excedit. (45) Fingamus, aliquem

liquem intelligere velle, quæ ſit hominis natura; quomodo is ex animo & corpore conſtet; quid in eo appetitus a ratione diſtet: huic profecto nota debet eſſe animi, corporis, rationis, atque appetitus natura. Quum vero corpus hominis ex elementis concretum ſit, danda opera eſt, ut elementa ipſa cognoſcantur. Sumatur ergo ab igne quæſtionis initium. Conſulendi ſunt veteres ac recentiores philoſophi, eorumque opiniones de ignis natura diligenter perpendendæ, atque aliæ cum aliis comparandæ. Ecce tibi Carteſius, ad quem philoſophiæ dictaturam plerique nuper deferebant. Interroga illum, quid ſit ignis: non ante doctum a ſe dimittet quam commentum illud ſuum de univerſi conſtitutione explicaverit, difficile ſane ac longis ambagibus impeditum. Cave tamen ne homini fidem temere adjungas: nam & reliquos philoſophos adire oportet, eorumque ſententiis probe cognitis, quæ omnium veriſſima ſit, demum judicare. Ad quod recte faciendum, primorum principiorum, communiſque materiæ notitia neceſſaria eſt: quæ res in abdito latent, ac deinceps latebunt. Iiſdem porro difficultatibus, trium quæ ſuperſunt elementorum natura obſepta eſt.

Quæ quum exquiſiveris, humani corporis fabrica tibi conſideranda erit: in qua re quum viri ſollertes ac laborioſi plurimi, in hoc præcipue Gymnaſio Patavino, ad hanc diem ſumma cum laude verſati fuerint, ea nondum ad exitum perducta eſt. Neque vero aliquis veſtrûm exiſtimaverit, Auditores, de corpore viventis hominis

eum recte judicare posse qui totam humanorum cadaverum Anatomen perdidicerit, nisi plures alias calluerit disciplinas; meminisse enim vos oportet illorum M. Tullii verborum, ex Acad. Quæst. lib. 4. *Corpora nostra non novimus: qui sint situs partium, quam vim quæque pars habeat ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut ea viderent: nec eo tamen ajunt Empirici notiora esse illa, quia* (46) *possit fieri ut patefacta & detecta mutentur.* Sileo nunc de singularum partium usu, & de infinitis quæstionibus ad generationem, vitam, & mortem hominis pertinentibus. Missas item facio subtiles atque involutas de Animæ natura, proprietatibus, ac præcipue immortalitate disputationes: quæ omnia scitu difficillima ei nihilominus cognoscenda sunt qui se, quid sit homo, intelligere postulet. Quemadmodum vero naturam hominis plane ignoramus, ita si affirmemus, cetera omnia a nobis nesciri, mendaces fortasse non erimus. (47) In omni enim quæstione quum aliquantum processimus, ad incognitum aliquod & ἀκατάληπτον pedem offendimus. Et sunt hodie qui sententiis antiquorum evertendis atque exsibilandis gloriam, & sapientis nomen aucupentur: qui albis dentibus rideant occultas qualitates, tutissimum scilicet, ut vocant, ignorantiæ perfugium: quasi vero ipsi tanto conatu, tantoque fastidio, aut meliora, aut veriora protulerint! Naturam quidem ipsam ex particulis corporum tenuissimis, rotundis, oblongis, ramosis, acutis, obtusis, aliarumque figurarum assidue venantur, in quas

cor-

corpora diſſolvunt: confidunt *microſcopiis*, & aliis inventis, quibus oculorum infirmitati ſubſidio eunt: ſed num iccirco ſapientiores fiunt, quum rerum inter ſe permixtionis modum ignorent? Propior tamen eſt ſenſibus noſtris rerum permixtio quam exiguæ earumdem particulæ. Hæc vero præcipuum naturæ opus eſt: hæc ejus adytum, latibulum, cubile; ſed quo propius, hoc difficilius inventu. Huic divinum illud ſubeſt, illud ἡγεμονικὸν, quo impellente, movente, agitante, jungente, miſcente formantur corpora. Hoc igitur nondum percepto, omnia ignorari neceſſe eſt. Profecto id quod in unoquoque ſemine agendi vim habet, nonniſi mentis conjectura attingi poteſt: nam quæ oculis videmus, manibuſque tractamus, ad corporum compoſitionem vix quicquam conducunt. Ceterum, (48) philoſophi qui *ſcientiam* definiverunt, *rei cognitionem per cauſſam*, videntur nos admonere voluiſſe, vix homini datum ſcientiam adipiſci; quum rerum cauſſæ & obſcuriſſimæ ſint, & prope innumerabiles.

Hæc fere ſunt, Auditores, quæ Academicos, maxime e ſchola Arceſilai, & Scepticos olim eo adduxerunt, ut nihil affirmarent, de omnibus dubitarent, aſſenſumque retinerent. Quæ ſi quis copioſius aut ſubtilius exponi ſibi deſiderat, is M. Tullii Academicarum Quæſtionum librum qui Lucullus inſcribitur, & Sexti Empirici Pyrrhonias ὑποτυπώσεις evolvere ne gravetur. Nolite vero exiſtimare, paucis tantummodo aut contemtis philoſophis hanc dubitandi rationem placuiſſe.

O 2 Nam

Nam contra, ingenii atque eruditionis principes eam omni tempore probaverunt; neque Academici solum & Sceptici, sed ex aliis etiam familiis viri doctissimi: in quibus numerantur Anacharsis Scythes, Pherecydes Syrus, Pythagoras, (49) Empedocles, Gorgias Leontinus, Xenophanes, Epicharmus, Parmenides, Zeno Eleates, Anaxagoras, (50) Democritus, (51) Protagoras, Aristippus, Metrodorus Chius, Anaxarchus, M. Tullius, M. Varro doctissimus Romanorum, (52) Horatius Flaccus, Cornelius Celsus, & (53) Empirica medicorum secta, Lucianus, Megarici, Eretrici, & alii quamplurimi, quos omnes memorare longum & injucundum esset. Hos tamen a philosophiæ studiis, aut a rerum caussis investigandis, prudenter instituta dubitatio minime retardavit: erant enim omnes acerrimo ingenio; plerique etiam in reconditis atque interioribus litteris ætatem egerant: sed quum se a veri adeptione exclusos arbitrarentur, nihilominus mirifice gaudebant si quid modo probabile quærendo extudissent, in quo esset aliqua veri species, aut similitudo. Cartesius quoque suarum Meditationum initio, eum qui errorem devitare studeat, jubet, omnia, etiam quæ exploratissima habentur, in dubium incertumque revocare: quamquam postea, dubitatione prorsus abjecta, & nova decreta proponit, & audacter defendit. Aristoteles ipse, quem opiniosissimum nonnulli falso crediderunt, nonne sæpissime inculcat suum illud δοκεῖ, vel φαίνεται, hoc est, *videtur*, *apparet*; quo verecundiam suam in disputando testetur?

Quam

Quam rationem, ut Cicero tradit ſub finem ejus dialogi quem Lucullum inſcripſit, veterum etiam Romanorum *diligentia comprobavit: qui primum* IVRARE EX SVI ANIMI SENTENTIA *quemque voluerunt: deinde ita teneri* SI SCIENS FALLERET, *quod inſcientia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimonium diceret, ut* ARBITRARI *ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet: quæque jurati judices cognoviſſent, ut ea non eſſe fácta, ſed ut* VIDERI, *pronuntiarent.*

Tandem Divinorum Librorum auctoritas, a qua ne transverſum quidem unguem pios & Chriſtianos philoſophos diſcedere oportet, mentem hominis ad operum Dei contemplationem, tamquam noctuam (ut ita dixerim) ad Solis radios, caligare affirmat: nec poſſe nos ſolius rationis præſidio vera ac falſa dijudicare, niſi majore quodam & altiore lumine divinitus perfundamur. Inſignes loci ſunt huc pertinentes Sapientiæ cap. 9. Eccleſiaſtici cap. 3. ſed præſertim Eccleſiaſtæ cap. 3. ubi Salomon ita clamat: *Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem.* & rurſum cap. 8. *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub Sole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Hæc autem, bona cum venia illorum dicta ſunto qui nollent ullam de Deo aut religione in ſcholis

philosophorum fieri mentionem; a quibus ego vehementer dissentio.

Verum audire mihi videor aliquem e studiosorum adolescentium numero qui ex me sciscitetur, quid igitur sibi faciendum censeam: num veri inveniendi desperatione Physicam abjicere debeat, & ab hujusmodi studiis omnino feriari? Ego vero huic auctor fuerim, ut (54) a doctissimis viris quos paullo ante memoravi, exemplum sumat; qui quum hanc sibi legem indixissent, NULLI VISO TEMERE ASSENTIRI, tamen egregia multa in physicis præstiterunt. Probabilibus videlicet contenti erant, neque eam conclusionum firmitatem postulabant quæ in hominem profecto non cadit. Quod qui faciunt, ii non prudentia solum, sed etiam eruditione ceteris philosophis præstare solent: non enim (55) *ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhærescunt*; sed Academicorum propria libertate usi, idemtidem alio commeant, ut peregrinis mercibus domos locupletent suas; quærentes in re qualibet, quid constantissime dicatur. Præterea, ut verbis utar M. Tullii, (56) *Animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum est consideratio contemplatioque naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur, humana despicimus, cogitantesque supera atque cælestia, hæc nostra, ut exigua & minima, contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem.* (57) *Si vero aliquid occurret quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.*

ptate. Quapropter (58) neque dubitationis fines eo uſque proferemus, ut viſa dormientium, ebriorum, & furioſorum nihil a cogitationibus vigilantium, ſiccorum, atque ſanorum diſcrepare dicamus: neque contra, pro decretis noſtris, aut magiſtrorum, tamquam pro capite aut fortunis, pugnabimus; ſed bono modo, ſine ſudore & ſanguine. Ita illud ſervabitur, (59) *quod apprime in vita utile eſt*, VT NE QVID NIMIS.



ANNOTATIONES
IN SUPERIOREM
ORATIONEM.

(1) *δογματικοὺς appellamus*] Diogenes Laertius in prooemio Vitarum: τῶν δὲ φιλοσόφων, οἱ μὲν γεγόνασι ΔΟΓΜΑΤΙΚΟΙ', οἱ δὲ ΕΦΕΚΤΙΚΟΙ'. δογματικοὶ μὲν, ὅσοι περὶ τῶν πραγμάτων ἀποφαίνονται, ὡς καταληπτῶν· ἐφεκτικοὶ δὲ, ὅσοι ἐπέχουσι περὶ αὐτῶν, ὡς ἀκαταλήπτων. h. e. *Jam vero philoſophorum aliqui decretis nituntur, alii ab aſſenſu ſuſtinendo nominantur. Decreta quidem habent hi qui ita res enuntiant ac ſi comprehendi poſſint: ſuſtinent autem aſſenſum hi qui quaſi nihil comprehendi poſſit, ita de omnibus rebus aſſenſum ſuſtinent.*

(2) *Clamant quidem ſæpius, veritatem ſe inveniſſe*] Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotypoſ. lib. 1. cap. 14. φίλαυτοί τινες ὄντες οἱ δογματικοὶ, φασὶ δεῖν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἑαυτοὺς προκρίνειν ἐν τῇ κρίσει τῶν πραγμάτων. h. e. *Sibi placentes dogmatici ſe aliis hominibus in rebus judicandis præferendos eſſe dicunt.*

(3) *Qua privatas publicaſque res optime adminiſtramus*] Idem Sex. Empiricus Pyrrhon. hypotypoſ. lib. 1. cap. 22. ἀρκεῖ γὰρ (οἶμαι) τὸ ἐμπείρως τε καὶ ἀδοξάστως κατὰ τὰς κοινὰς τηρήσεις τε καὶ προλήψεις βιοῦν, περὶ τῶν ἐκ δογματικῆς περιεργείας καὶ μάλιστα ἔξω τῆς βιωτικῆς χρείας λεγομένων ἐπέχοντας. i. e. *Sufficit itaque, ut arbitror, cum experientia uſu parta, & ita ut dogma nullum ſtatuamus, ſecundum communes obſervationes, & præoccupatas in animis hominum opiniones, vitam degere: de iis vero quæ ex dogmatica curio-*

curioſitate dicuntur, & quidem nullam vitæ communi utilitatem afferunt, aſſenſum retinere. Cum Sexto concinit M. Tullius in Lucullo, his verbis: *Itaque & ſenſibus probanda multa ſunt. Teneatur modo illud, non ineſſe in his quicquam tale, quale non etiam falſum nihil ab eo differens eſſe poſſit. Sic quicquid acciderit ſpecie probabile; ſi nihil ſe offeret quod ſit probabilitati illi contrarium; utetur eo ſapiens, ac ſic omnis ratio vitæ gubernabitur. Etenim is quoque qui e vobis ſapiens inducitur, multa ſequitur probabilia, non comprehenſa, neque percepta, neque aſſenſa, ſed ſimilia veri: quæ niſi probet, omnis vita tollatur.*

(4) *Democrito tandem*] Lege Ciceronem libro 1. de Finibus.

(5) Tuſcul. Quæſt. lib. 2.

(6) *Tamquam concilio Jovis interfuiſſent*] Cicero lib. 1. de Natura Deorum: *Tum Vellejus fidenter ſane, ut ſolent iſti, nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur: tamquam modo ex Deorum concilio, & ex Epicuri intermundiis deſcendiſſet; Audite, inquit, &c.* Horatius Ode 25. lib. 3. *Quibus*

Antris egregii Cæſaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inſerere, & concilio Jovis?

Hujuſmodi philoſophos Ariſtophanes ἐν νεφέλαις v. 225. ἀεροβατοῦντας appellat, Socratem ipſum de ſe ita loquentem inducens: ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον. *in aere incedo, & Solem ſic intuor.*

(7) *Quæ Lunam gentes incolerent*] Lunam, & ſtellas reliquas, perinde ac tellurem noſtram, incoli & habitari, plurimi veterum opinati ſunt; Orpheus in primis, & Pythagorei Ocellus Lucanus, Phi-

Philolaus Crotoniates, Nicetas Syracusius, Oecetes, Empedocles: tum Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Ariſtarchus, Archelaus, Anaxarchus, Xenophanes, Democritus, Heraclitus, Metrodorus Chius, Leucippus, Epicurus, & eum ſecutus Metrodorus Lampſacenus: Diogenes Apolloniates, Zeno Eleates, Seleucus, Plato, & e Platonicorum grege non pauci: ut ſatis conſtat ex Ariſtotele, Diogene Laërtio, Plutarcho, Æliano, M. Tullio, Alexandro Aphrodiſæo, Irenæo, Auguſtino, Hieronymo, Theodorito, Joanne Stobæo, Simplicio, Philopono, Suida, & aliis. Nonnullis etiam recentiorum (ſerio ne an joco, non facile dictu eſt) hanc doctrinam tueri placuit: in quibus numerantur Nicolaus Cuſanus, Jordanus Brunus, Tycho Brahe, Thomas Campanella, Guilelmus Gilbertus, Renatus Carteſius, ejuſque ſectatores: præterea Keplerus, Galilæus, David Fabricius, Gaſſendus, Huygenius, Robertus Flud, Nevvtonus, Burnettus, Bælius, Lockius, Fontenellius, & alii; de quibus conſule, ſi libet, virum celeberrimum Jo. Albertum Fabricium Bibliothecæ Græcæ lib. 1. cap. 20.

(8) *Qui eſſe primos ſe*] Terentius Eunucho A. 2. Sc. 2. v. 17.

(9) Vide Ariſtotelem lib. 6. Phyſicorum cap. 9.

(10) *Parmenides atque Meliſſus*] Hujus rei teſtis locuples Ariſtoteles Phyſicorum lib. 1. cap. 3. & 4.

(11) *Diodorus Cronus*] Id tradit Sex. Empiricus Pyrrhon. hypotyp. lib. 3. cap. 8.

(12) Vide Johannem Clericum Logices Parte 1. cap. 9. num. 3. & 4.

(13) *Si*

(13) *Si M. Tullium audimus*] Ejus verba ſunt in Lucullo: *Quid de tactu, & eo quidem quem philoſophi interiorem vocant, aut doloris, aut voluptatis? in quo Cyrenaici ſolo putant veri eſſe judicium, quia ſentiatur. Poteſtne igitur quiſquam dicere, inter eum qui doleat, & inter eum qui in voluptate ſit, nihil intereſſe? aut, ita qui ſentiat, non apertiſſime inſaniat?* & alio ejuſdem libri loco: *Quid Cyrenei videntur, minime contemti philoſophi? qui negant eſſe quicquam quod percipi poſſit extrinſecus: ea ſe ſola percipere quæ tactu intimo ſentiant, ut dolorem, & voluptatem: neque ſe, quo quid colore, aut quo ſono ſit, ſcire, ſed tantum ſentire, affici ſe quodammodo.*

(14) *Pyrrhonii*] Sex. Empiricus Pyrrh. hypotyp. lib. 1. cap. 7. *τοῖς γὰρ κατὰ φαντασίαν κατηναγκασμένοις πάθεσιν συγκατατίθεται ὁ Σκεπτικός· οἷον, οὐκ ἂν εἴποι θερμαινόμενος ἢ ψυχόμενος, ὅτι δοκῶ μὴ θερμαίνεσθαι ἢ ψύχεσθαι.* i. e. *Scepticus iis quibus per phantaſiam cogitur affici, aſſentitur. Exempli gratia, quum caleſit, aut frigeſit, nequaquam dixerit, Puto me non caleſieri, aut frigeſieri.* Porro, quo potiſſimum differret Cyrenaicorum opinio a Scepticorum doctrina, oſtendit idem Sextus cap. 31. ejuſdem 1. libri.

(15) *Rem compacto agentes*] Plautus Capteiveis A. 3. Sc. 1. v. 29.

(16) *Dei providentiam extollit*] Iſaacus Caſaubonus Epiſt. 258. *Galenum*, inquit, *vocari ἄθεον miror, virum tam aſſiduum in ſapientia Dei prædicanda. Ego illum eo maxime nomine dignum laude, & æterna prædicatione ſemper judicavi.*

(17) *E Stoicorum libris*] Vide Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum, & lib. 3. de Finibus B. & M.

(18)

(18) *Non esse oculos, aures, &c.*] Absurdam hanc Epicuri doctrinam ita exponit Lucretius lib. 4. ver. 821.

Istud in his rebus vitium vehementer, & istum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus; & ut proferre viaï
Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tum porro validis ex apta lacertis
Esse, manusque datas utraque a parte ministras,
Ut facere ad vitam possimus quæ foret usus.
Cetera de genere hoc, inter-quæcumque-pretantur,
Omnia perversâ præpostera sunt ratione.
Nil adeo quoniam natum est in corpore, ut uti
Possemus; sed quod natum est, id procreat usum:
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata;
Nec dictis orare prius quam lingua creata est:
Sed potius longe linguæ præcessit origo
Sermonem: multoque creatæ sunt prius aures,
Quam sonus est auditus: & omnia denique membra
Ante fuere, (ut opinor) eorum quam foret usus.
Haud igitur potuere utendi crescere caussa.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fœdareque membra cruore,
Ante fuit multo quam lucida tela volarent.
Et volnus vitare prius natura coegit,
Quam daret objectum parmaï læva per artem.
Scilicet & fessum corpus mandare quieti
Multo antiquius est quam lecti mollia strata.
Et sedare sitim prius est quam pocula natum.
Hæc igitur possent utendi cognita caussa
Credier, ex usu quæ sunt vitaque reperta.
Illa quidem seorsum sunt omnia quæ prius ipsa
Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis:
Quo genere in primis sensus, & membra videmus.

Quare

Quare etiam atque etiam procul eſt, ut credere poſſis,
Utilitatis ob officium potuiſſe creari.

(19) *Polyænum*] Cicero in Lucullo: *Quid Polyænus, qui magnus mathematicus fuiſſe dicitur? is poſteaquam Epicuro aſſentiens totam geometriam eſſe falſam credidit, num illa etiam quæ ſciebat, oblitus eſt?*

(20) In Lucullo.

(21) *Nullam rem*] Ex earum puta rerum genere de quibus Phyſici diſputare ſolent. Nam ceteroqui multa feruntur Socratis præcepta Ethica, Oeconomica, Politica.

(22) *Ne illud quidem* &c.) Neque ſecum ipſe pugnabat Arceſilas hac enuntiatione: non enim id ponebat tamquam δόγμα firmum & ſtabile, quod omnem contradicendi libertatem tolleret; ſed potius tamquam ἀνθρωπείου πάθους ἀπαγγελίαν, i. e. *affectionis humanæ ſignificationem*; quod nimirum ipſi videretur, nos nihil ſcire; ne illud quidem ſcire nos, *nos nihil ſcire*. Porro hujuſmodi pronuntiata, ut & omnes Scepticorum voces aſſenſum tollentes, non inepte comparat Sex. Empiricus lib. 1. Pyrrh. hypotyp. cap. 28. cum medicamentis vim purgandi habentibus, quæ οὐ μόνον τοὺς χυμοὺς ὑπεξαιρεῖ τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ ἑαυτὰ τοῖς χυμοῖς συνεξάγει, *non ſolum humores corpore extrahunt, ſed etiam ſemetipſa cum humoribus expellunt.*

(23) *Arceſilæ ſucceſſoribus*] Arceſilam audivit Lacydes, Lacydem Evander, Evandrum Egeſinus, qui Carneadis magiſter fuit. Teſtes Diogenes Laertius, & Cicero in Academicis Quæſtionibus.

(24) Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 195.

(25)

(25) *Appellati ſunt etiam Sceptici*] Vide Sex. Empiricum Pyrrhon. hypotyp. lib. 1. cap. 3.

(26) *Quum vero*] Diogenes Laertius lib. 9. in vita Timonis.

(27) *Hic, e Scepticorum præceptis*] Teſtis Euſebius lib. 14. Præparat. Evangelicæ.

(28) Idem lib. 3. de Finibus: *Quæ adhuc, Cato, a te dicta ſunt, eadem, inquam, dicere poſſes ſi ſequerere Pyrrhonem, aut Ariſtonem -- -- -- -- Hos ne igitur laudas, & hanc eorum ſententiam ſequi nos cenſes oportere? Minime vero iſtorum quidem, inquit. Quum enim virtutis hoc proprium ſit, earum rerum quæ ſecundum naturam ſint, habere dilectum; qui omnia ſic exæquaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla ſelectione uterentur, virtutem ipſam ſuſtulerunt.* Loquitur apud Ciceronem Cato, Stoicorum præceptis addictus.

(29) *Senſuum quum externorum* &c.] Ob haſce duas cauſſas, & ipſe Ariſtoteles lib. 2. Metaphyſic. cap. 1. faſſus eſt, difficilem admodum eſſe adeptionem veritatis.

(30) *Si tamen ullæ ſunt hujuſmodi imagines*] Rerum ſimulacra non ſolum eſſe, verum etiam corporea eſſe, ac de corporum ſuperficie abraſa per totum orbem volitare, pluribus diſputat Lucretius lib. 4.

(31) *Omnino ſimiles eſſe corporibus unde prodeunt*) Sex. Empiricus lib. 1. cap. 7. Pyrrh. hypotyp. ὥσπερ γὰρ ὁ ἀγνοῶν μὲν Σωκράτην, εἰκόνα δὲ τούτου θεασάμενος, οὐκ οἶδεν εἰ ὁμοία ἐστὶν ἡ εἰκὼν τῷ Σωκράτει· οὕτω καὶ ἡ διά-

διάνοια τὰ μὲν πάθη τῶν αἰσθήσεων ἐποπτεύουσα, τὰ δὲ ἐκτὸς μὴ θεωροῦσα· οὐδὲ εἰ ὅμοιά ἐστι τὰ τῶν αἰσθήσεων πάθη τοῖς ἐκτὸς ὑποκειμένοις εἴσεται. i. e. *Quemadmodum enim qui ignorat quidem Socratem, ſed ejus imaginem conſpexit, neſcit an ſimilis ſit imago Socrati: ſic & mens paſſiones quidem ſenſuum ſubaſpectans, externa autem non intuens, ne hoc quidem ſciet, an paſſiones ſenſuum externis ſubjectis ſimiles ſint.*

(32) Julius Pollux lib. 1. Onomaſtici cap. 4. χαίρει δὲ, inquit, ἡλίῳ ὁμιλοῦσα τῆς πορφύρας ἡ βαφή. καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει, καὶ πλείω ποιεῖ καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐγὴν, ἐκφοινισσομένην ἐκ τοῦ ἄνω πυρός. h. e. *Tinctura vero purpuræ Solem amat; etenim hujus illuſtrata radiis majorem lætioremque ſplendorem purpureo colore coruſcantem a ſupero igne concipit.*

(33) *Eodem pacto, pro vario lucis appulſu,* &c.] De hac re occurrunt verſiculi elegantes in Catalectis Petronii:

Fallunt nos oculi, vagique ſenſus
Oppreſſa ratione mentiuntur.
Nam turris prope quæ quadrata ſurgit,
Adtritis procul angulis rotatur.
Hyblæum refugit ſatur liquorem,
Et naris caſiam frequenter odit.
Hoc illo magis, aut minus placere
Non poſſet, niſi lite deſtinata
Pugnarent dubio tenore ſenſus.

(34) *Componere atque dividere*] Vide Ariſtotelem Metaphyſicorum lib. 6. cap. 3. & lib. 9. cap. 13.

(35) Horatius Epiſt. 1. lib. 1. v. 4. *Non eadem eſt ætas, non mens.* Cur autem ſenes præterita tempora mirentur, & laudibus extollant; præſentia vero deſpiciant,

ſpiciant, atque accuſent, copioſe ac eleganter oſtendit Balthaſſar Caſtilioneus initio libri 2. de Aulico: quem locum ſi quis legerit, operæ pretium faciet; plurima enim pulcherrima, & huc ſpectantia continet.

(36) *Formoſæ videntur*] Lucretium conſule ſub finem libri quarti, & Horatium Sat. 3. lib. 1. v. 38. Ideo ſervus ille apud Terentium Eunucho A. 2. Sc. 1. v. 19. ſic exclamat: *Dii boni, quid hoc morbi eſt? adeon' homines immutarier Ex amore, ut non cognoſcas eumdem eſſe?*

(37) Plautus prologo Menæchmorum, v. 19. Contra M. Tullius in Lucullo, *Fac enim*, inquit, *antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam ſimiles quam dicuntur: num cenſes etiam eoſdem fuiſſe? non cognoſcebantur foris; at domi: non ab alienis; at a ſuis.*

(38) *Ac cerebri varietate*] Vide Galenum τέχνης ἰατρικῆς, ſive Artis Medicæ, cap. 12. & ſequentibus.

(39) Inter hominem & hominem differre plurimum, copioſe diſputat Sex. Empiricus Pyrrhon. hypotyp. lib. 1. cap. 14. ἐν δευτέρῳ τῆς ἐποχῆς τρόπῳ.

(40) *Jam veri & falſi regula* &c.] Vide Sex. Empiric. lib. 2. cap. 5. ſæpius memorati operis.

(41) *Sapienter flumini comparabat*] Platonem vide in Cratylo tomo 1. pag. 402.

(42) *Intactilemque*] Uſus eſt hac voce Lucretius lib. 1. v. 438.

Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam

Rem prohibere queat per ſe tranſire meantem:
Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus.

(43) Quod idem luculentis admodum verbis olim pronuntiare non dubitaverat Petrus Gaſſendus Exercitationum Paradoxicarum adverſus Ariſtoteleos lib. 2. Exercitat. 6. *Igitur*, inquit, *paucis ad hæc reſpondere ſic poſſumus. Primum non videri illos eſſe naturæ injurios qui ut naturæ nihil detrahunt, ſic pluſquam par eſt, non adjiciunt (par enim injuria videtur, & dicere quod non ſis, & non dicere quod ſis): ac qui proinde concedunt indidiſſe quidem naturam omnibus hominibus ſciendi deſiderium; at non tamen ſciendi vel omni modo, vel omnia. Hinc quamdiu deſiderant homines omnes ſcire plurima, & per experientiam, & quatenus illa apparent, verum eſt, quod natura duce illa ſcire deſiderant: at ſtatim ac præterea volunt, & naturas intimas, & cauſſas neceſſarias ſcire, jam hoc ſcientiæ genus eſt quod naturam angelicam, vel etiam divinam attineat, nec homunciones deceat; quocirca & hoc deſiderium dici non poteſt eſſe a natura. Videlicet omnes homines pari modo deſiderant immortalitatem: at quis cenſeat, hoc deſiderium inditum eſſe a natura, per quam potius ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori? Quare ut quoniam, quantumcumque velint homines numquam mori, ex eo tamen quod nullus ſit qui aſſequatur immortalitatem, colligimus, tale deſiderium minime eſſe naturale; ſic colligere poſſumus, quoniam nullus hominum eſt qui minimæ rei naturam introſpectam habeat, deſiderium naturæ non eſſe, quo perſpectam habere peroptet. Deinde vero & illud dari conſequenter poteſt, eſſe cauſſas ſcientiæ, at ſcientiæ tamen experimentalis, &, ut ſic dicam, apparentialis; ſiquidem intellectus noſter ſcit, cognoſcitque experiundo multa apparentia.* Hæc omnia Gaſſendus ex Pyrrhoniorum fontibus derivavit.

 Eam

Eam ſcilicet Phyſicæ partem quæ appellatur ἱςορικὴ, tantummodo probare, alteram vero cui nomen eſt αἰτιολογικὴ, vel ὑποθετικὴ, tamquam minus utilem, contemnere ac repudiare videtur. Nos a tanto viro non plane diſſentimus; nam, ſi verum fateri volumus, legitima & non fucata Philoſophia nihil aliud eſt quam accurata obſervatio & collectio τῶν φαινομένων, ſive Hiſtoria Naturalis, cujus ope caute ac pedetentim leges naturæ inveſtigamus atque venamur; non ultimas & remotiſſimas rerum cauſſas perſecuti, ſed ſenſibus noſtris propiores, quas imbecillitati humanæ ſolas attingere licet.

(44) *Priuſquam rerum multitudinem*] Cicero Tuſcul. Quæſt. lib. 2. *Difficile eſt in philoſophia pauca eſſe ei nota cui non ſint aut pleraque, aut omnia.*

(45) *Fingamus*, &c.] Minutius Felix in Octavio, Editionis Lugd. Batav. 1652. pag. 15. *Nec recuſo*, inquit, *quod Cæcilius aſſerere inter præcipua conniſus eſt, hominem noſſe ſe, & circumſpicere debere, quid ſit, unde ſit, quare ſit; utrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod ipſum explorare & eruere ſine univerſitatis inquiſitione non poſſumus, quum ita cohærentia, connexa, concatenata ſint, ut niſi divinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis; nec poſſis pulchre gerere rem civilem niſi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem.*

(46) *Poſſit fieri ut patefacta & detecta mutentur*] Cornelius Celſus in Præfatione, ubi de Empiricorum ſecta: *Neque quicquam eſſe ſtultius, quam quale quid vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, immo jam mortuo.* Quinctilianus Declamat. 8. cap. 18. *An fas putatis, ut ſuam ſervent viſcera nudata faciem? ut nihil perdat ex priore natura illud pectoris vi-*

tæque

tæque ſecretum, quum admiſit oculos? Plurimum in nobis etiam timore mutatur, &c. D. item Auguſtinus lib. 22. de Civ. Dei, cap. 24. num. 4. *Quia etſi medicorum diligentia nonnulla crudelis, quos anatomicos appellant, laniavit corpora mortuorum, ſive etiam inter manus ſecantis perſcrutantiſque morientium, atque in carnibus humanis ſatis inhumane abdita cuncta rimata eſt, ut quid, & quomodo, quibus locis curandum eſſet, addiſceret; numeros tamen de quibus loquor, quibus coaptatio, quæ ἁρμονία Græce dicitur, tamquam cujuſdam organi, extrinſecus atque intrinſecus totius corporis conſtat, quid dicam, nemo valuit invenire, quos nemo auſus eſt quærere?* Paria invenies apud Polybium Hiſtor. lib. 1. non longe ab initio.

(47) *In omni enim quæſtione*] Vide Danielis Georgii Morhofii Polyhiſtoris Litterarii lib. 1. caput 12.

(48) *Philoſophi qui ſcientiam definiverunt*] Ariſtoteles Poſter. Analytic. lib. 1. cap. 2. ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός, ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστὶ, καὶ μὴ ἐνδέχεται τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. i. e. *Scire autem putamus unamquamque rem ſimpliciter, non ſophiſtico modo, id eſt ex accidenti, quum putamus cauſſam cognoſcere propter quam res eſt, ejus rei cauſſam eſſe, nec poſſe eam aliter* ſe *habere*. Idem lib. 1. τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως cap. 7. εἰ δ' ἀρχῶν ἀπείρων οὐσῶν καὶ κατὰ πλῆθος καὶ κατ' εἶδος, ἀδύνατον εἰδέναι τὰ ἐκ τούτων· οὕτω γὰρ εἰδέναι τὸ σύνθετον ὑπολαμβάνομεν, ὅταν εἰδῶμεν ἐκ τίνων καὶ πόσων ἐστίν. i. e. *Si vero principia tam multitudine quam forma ſunt infinita, fieri non poteſt ut ea noſcantur quæ ex his* conſtant. *nam ita demum compoſitum noſſe exiſtimamus, quum novimus ex quibus, &*

P 2 *quot*

quot conſtet. Præterea (quod ad rem noſtram plurimum facit) lib. 2. ejuſdem operis cap. 3. δεῖ δὲ, inquit, ἀεὶ τὸ αἴτιον ἑκάστου τὸ ἀκρότατον ζητεῖν. i. e. *Oportet autem ſemper ſummam cujuſque rei cauſſam quærere*.

(49) *Empedocles*] Operæ pretium eſt audire Ciceronem in Lucullo. *Et tamen*, ait, *iſti Phyſici raro admodum, quum hærent aliquo loco, exclamant quaſi mente incitati: Empedocles quidem, ut interdum mihi furere videatur: abſtruſa eſſe omnia, nihil nos ſentire, nihil cernere, nihil omnino quale ſit, poſſe reperire*.

(50) *Democritus*] Contendebat hic philoſophus, mentem omnem eſſe animam corporis alicujus, quæ non operaretur niſi per corpus: ideoque affirmare non verebatur, mentem eſſe quemdam ſenſum, vel quamdam φαντασίαν imaginibus corporeis varias effingentem ac procudentem cogitationes: ex quo ajebat id conſequi, omnia quæ videantur, ea vera eſſe: nullam enim eſſe in rebus ipſis aut veri, aut falſi notam, quum eæ diverſo modo menti ſe ſpectandas idemtidem exhiberent. Vide Ariſtotelem lib. 1. de Anima cap. 2. & lib. 4. Metaphyſic. cap. 4. De hac Democriti doctrina ita Sex. Empiricus lib. 1. adverſus Logicos num. 135. Δημόκριτος δὲ ὅτι μὲν ἀναιρεῖ τὰ φαινόμενα ταῖς αἰσθήσεσι, καὶ τούτων λέγει μηδὲν φαίνεσθαι κατὰ ἀλήθειαν, ἀλλὰ μόνον κατὰ δόξαν. i. e. *Democritus autem ea quidem tollit quæ apparent ſenſibus: & ex iis dicit nihil vere apparere, ſed ſolum ex opinione*. Quid porro interſit inter Democriti & Scepticorum ſententiam, oſtendit idem Empiricus lib. 1. Pyrrh. hypot. cap. 30. Adverſus hanc ſententiam, pro qua pugnavit & Protagoras, diſputat Socrates apud Platonem in Theæteto a pag. 158.

(51) *Protagoras*] Vide Ariſtotelem lib. 4. Metaphyſic. cap. 5. & Sex. Empiricum lib. 1. P. hypotyp. cap. 32. & lib. 1. adverſus Logicos num. 388. Platonem quoque in Theæteto pag. 152. tomo 1.

(52) *Horatius Flaccus*] Ita de ſe ipſe Epiſt. 1. lib. 1. v. 13.

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo-me-cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

(53) *Empirica medicorum ſecta*] Celſus in Præfatione Medicinæ: *Contra hi qui ſe* ἐμπειρικοὺς *ab experientia nominant, evidentes quidem cauſſas, ut neceſſarias amplectuntur: obſcurarum vero cauſſarum & naturalium actionum quæſtionem ideo ſupervacaneam eſſe contendunt, quoniam incomprehenſibilis natura ſit. Non poſſe vero comprehendi, patére ex eorum qui de his diſputarunt, diſcordia: quum de iſta re, neque inter ſapientiæ profeſſores, neque inter ipſos medicos conveniat.* Lege quæ ſequuntur, ſi vacat.

(54) *A doctiſſimis viris quos paullo ante memoravi, exemplum ſumat*] Juvat huc afferre verba M. Tullii ex eo dialogo qui Lucullus inſcribitur. *Etſi enim*, inquit, *omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſſa & doctiſſimi & antiquiſſimi invenire ſe poſſe quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus: neque noſtræ diſputationes quicquam aliud agunt niſi ut in utramque partem dicendo, & audiendo, eliciant, & tamquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quamproxime accedat. Neque inter nos, & eos qui ſe ſcire arbitrantur, quicquam intereſt, niſi quod illi non*

dubitant quin ea vera sint quæ defendunt: nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus.

(55) Cicero in eodem dialogo.

(56) Idem ibidem.

(57) *Si vero aliquid occurret*] Petrus Gassendus Physicæ sect. 1. lib. 4. cap. 1. *Tametsi*, inquit, *expetitæ a Physicis caussæ hujusmodi sint, quales huc usque descripsimus, despondendum tamen animis non est, quatenus licet attingere ad illas prorsus intimas, præcipuas, propinquas, speciales, non detur; sunt tamen gradus varii inter ipsas, & alias prorsus remotas, organicas, externas, communes; ac non modo non pœnitendum, sed maxime etiam expetendum est, gradus quosdam attingere, qui ad summum illum, quantum fieri potest, proxime accedant. Jucundissimum quippe est crassiorem illam caliginem, & tenebras quasi nocturnas sic excutere, depellereque ex animo, ut, nisi ipsummet veritatis jubar, quasi splendidissimum Solem, contueri nobis concedatur; at versari tamen quasi in aurora verisimilitudinis liceat; ac, nisi habeamus perspectas causas quæ penitus certæ indubiæque sint, tales nanciscamur quæ habeant speciem aliquam probabilitatis.*

(58) *Neque dubitationis fines eo usque proferemus*] Id nonnulli faciunt hoc tempore, nimio contemplationis usu, tamquam immodico vini meracioris potu, extra se rapti. Eodem scilicet pacto afficiuntur quo stupidus ille olim, a Catullo ita derisus Carm. 17.

- - - - - - - - sed velut alnus
In fossa Liguri jacet suppernata securi,
Tantumdem omnia sentiens quam si nulla sit usquam,
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse quis sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.

(59) Terentius Andriæ Actu 1. Sc. 1. v. 34.



JOANNIS ANTONII VULPII

PUBLICI PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS,

ORATIO DE VACUO,

Habita in Gymnaſio Patavino VI. Idus Novemb.
ANNO DOM. MDCCXXIX.



UUM in ea parte philoſophiæ, Auditores humaniſſimi, quæ mundi hujus corporei naturam cauſſaſque ſpeculatur, plurima occurrant cognitu æque ac explicatu difficilia, quæ præclariſſimis hominum ingeniis diſſolvere atque illuſtrare nondum conceſſum fuit, neque in poſterum fortaſſe concedetur: tanta eſt vel rerum ipſarum divinitas, vel mentis humanæ imbecillitas: tum præcipue quæſtio illa perdifficilis & perobſcura ſemper habita eſt, Utrum in univerſo corporeo ſit aliquid Inane, ſive omni corpore deſtitutum, necne. Quam ſane quæſtionem ſi quis penitus

expedire, & ad vivum resecare posset, is ad intelligendam corporis & motus naturam, quorum cognitione tota Physica continetur, simplicem ac directam viam aperiret. Verum, quod valde dolendum est, veteres & recentiores philosophi hac de re ita dissentiunt inter se, ut argumentis argumenta, experimentis experimenta opponentes, omnem veri inveniendi spem sustulisse, hominesque non temerarios a pronuntianda sententia omnino deterruisse videantur. Quoniam tamen rei tam abditæ investigatio, ac tam diversarum opinionum expositio honestissimæ voluptati vobis, qui ad me audiendum convenistis, ut confido, futura est; nihil alienum ab instituto meo fecero, qui hoc anno videlicet eos Aristotelis libros explicaturus sim in quibus agitur de materia, & reliquis principiis corporum naturalium, si ea brevitate ac perspicuitate qua potero, de Inani seu Vacuo nonnulla dixero, atque hinc potissimum, disputationum mearum, tamquam auspicato, initium sumsero. quod, Deo Optimo Maximo auctore atque adjutore, vobisque approbantibus, bonum, faustum, felix, fortunatumque sit.

Nemo negaverit, in mentibus hominum de Inani aliquam esse cogitationem (*ideam* recentiores appellare amant); sive ei cogitationi veritas respondeat, quod contendunt Epicurei; sive sit omnino ficta, & præjudicatæ opinioni tantum debeatur, cujusmodi multæ sunt quas a matribus & nutricibus infantes olim accepimus. id autem Cartesianis placet. Porro duplex est de Vacuo cogitatio: popularis una, philosophorum alte-

altera. Rudes & agrestes homines, qui visui plurimum deferunt, & iccirco nullum corpus esse arbitrantur quod in oculos non incurrat, *inane* vocant id omne quod rebus quas continere solebat, destitutum ac spoliatum est. Hoc populari loquendi modo utuntur & politiores, consuetudini obsecuti: non tamen idem sentiunt ac vulgus. Poetæ præsertim, qui populi suffragia venantur, ita loqui gaudent. Quamobrem Horatius in Arte Poetica (v. 230.) scriptorem quemdam tumidum ait, *nubes & inania captare*, quasi cælum inter ac terram nullum corpus contineatur; quum tamen spatium illud omne aëre quaquaversus diffuso plenum sit. Idem poeta *dolium* Danaidum apud inferos, *inane lymphæ* appellat (Ode 11. lib. 3.); & Priscum quemdam equitem Romanum, qui sine annulo equestri sæpius in publicum prodibat, *læva inani notatum* ait (Sat. 7. lib. 2.) Romani enim (1) annulos læva manu gestabant. Eidem *inanis* homo (Sat. 2. lib. 2.) & *inanis venter* (Sat. 6. lib. 1.) pro *jejuno* usurpatur, & *Attollens vacuum plus nimio gloria verticem* (Ode 18. lib. 1.) pulchre describitur: leve nimirum caput, & cerebro, ut aiunt, imminuto. Plautus vero in Aulularia (actu 1. scena 2.) anum quamdam, avarissimi hominis Euclionis ancillam, ita loquentem inducit:

— — — an ne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus:
Ita inaniis *sunt opplетæ, atque araneis.*

Sed, ut poetas missos faciamus, popularem *Inanis* significationem sic explicat M. Tullius in libello

bello de Fato: *Quum vas* inane *dicimus, non ita loquimur ut Physici, quibus inane esse nihil placet: sed ita, ut, verbi caussa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus.* Utrum vero Physicis inane esse nihil placeat, quod ait Cicero, nec ne, suus erit postea dispiciendi locus.

Ut hunc vulgi errorem Anaxagoras refelleret, putantis videlicet, (2) aërem, quod sensu oculorum minus percipiatur, nullum esse corpus: & locum solo aëre plenum omnino vacuum esse; ostendendum suscepit (teste Aristotele lib. 4. Physicorum cap. 8.) aërem in corporibus numerari, adeoque locum in quo nihil sit nisi aër, non esse inanem. Id porro efficere conatus est Anaxagoras argumento primum ex utribus inflatis petito. (3) Utres enim aëre distenti sustinent pondera: sunt igitur pleni corpore, & valido quidem: aliter enim ponderibus sustinendis pares non essent. Utres autem inflati solo aëre pleni sunt. Aër igitur corpus est, ac validum quidem. Hoc autem Anaxagoræ argumento, aëris pondus, & vis contrahendi se in plaga, deinde rursum expandendi, quam vim, *elasticam* recentiores vocant, non obscure adumbrata videntur. Alterum argumentum eidem conclusioni stabiliendæ præbebant Anaxagoræ, fistulæ seu siphones, quibus attracto aëre, attrahitur & aqua. Aër igitur, ajebat, corpus est aliquod: nam si nullum corpus esset, neque ipse attrahi posset, neque aqua, tota longitudine fistulæ ab ore attrahentis remota. Quæ scilicet ideo per fistulam ascendit, quod proxime contingat corpus aliquod fistula contentum,

nem-

nempe aërem ipsum. Hactenus de populari *Vacui* significatione dictum esto.

Philosophi contra, quorum est omnia subtilius rimari, (4) & vera nomina rebus imponere, *Vacui* appellatione significare volunt locum omni corpore carentem, qui tamen locus sit δεκτικὸς τοῦ σώματος, puta qui sinu suo possit suscipere corpus, eoque repleri. Quum igitur philosophi Vacuum animo concipiant tamquam locum corpore carentem, & ad id excipiendum idoneum, vel saltem ut corporis absentiam: eaque sit cogitatio quam habent quum de Vacuo disputant; errare propterea videntur, rebusque manifestis adversari, qui statuunt, Vacuum nihil omnino esse. Profecto enim locus corporis, vel absentia corporis, est aliquid ab ipso corpore distinguendum: quodcumque tandem illud sit. Neque enim satis est ad omnem de Vacuo cogitationem, tamquam futilem & ineptam, jure ac merito repudiandam, si dicamus, neque Vacuum sensu attingi, neque ullam ejus imaginem animo formari aut concipi posse: multa enim sunt in rerum natura quæ nullo corporearum imaginum subsidio probe intelligimus. Nam neque tenebras cernere nobis licet, quæ nihil aliud sunt quam privatio & absentia lucis: & tamen, tenebræ quid sint, recte admodum percipimus, easque a luce internoscimus: neque silentium audimus, quod est vocis & soni defectus, neque ullam imaginem silentii animo adumbratam contemplamur: ex ipso tamen sono satis intelligimus, quæ sit ratio & quasi natura silentii: rursus ex alterno silentio

magis

magis animadvertimus naturam ſoni; quod monet Ariſtoteles libro 2. de Cælo cap. 9. Ita & Vacui nullam imaginem cogitando effingere poſſumus; nihilo tamen minus, mentis acie, quid ſit Vacuum, ſeu corporis privatio & abſentia, facile cognoſcimus.

Themiſtius porro, luculentus Ariſtotelis interpres, in Commentario ad lib. 4. περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, exponens veterum philoſophorum ſententias, qui Vacuum eſſe in natura, ſumma ope contendebant, ait, iis quibus placet, locum nihil aliud eſſe quam διάστημα, ſive intervallum ac ſpatium, locum & Vacuum nomine diſcrepare, vi & re ipſa conſentire, atque idem eſſe. eamdem enim diſtantiam & ſpatium, corpore occupatum, locum eſſe: corpore deſtitutum, Inane. Hujuſmodi porro Inane, ſi Themiſtium audimus, vel univerſo permixtum eſt, idque continuum eſſe prohibet; vel ſi cælum & mundus continua ſint, & arcto materiæ nexu ſtipata, ipſum extra manet, ambituque ſuo univerſum continet atque complectitur. Triplex igitur Vacuum a philoſophis memoratur: χωριστὸν unum, ſive *ſeparatum*, nimirum, amplum illud & immenſum ſpatium, (5) cujuſmodi extra mundi oras porrigi atque diffundi, quilibet ſibi fingere ſolet: διεσπαρμένον, ſeu *diſſeminatum*, alterum; ſcilicet exigua quædam intervalla ſine corpore, quæ ſingula corpora diſcernant, eorumque partibus interponantur: tertium, *coacervatum*, quod ἀθρόον, vel συνηθροισμένον Græci appellant. id vero concipitur quaſi modicum quoddam ſpatium, ex pluribus minori-

bus

bus exsistens, unde omnes corporeæ particulæ penitus depulsæ fuerint. Virgilius primum illud Vacuum, ab hoc mundo quem incolimus abjunctum & segregatum, (6) *magnum Inane* vocavit Ecloga 6.

Namque canebat, uti magnum *per* Inane *coacta*
Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis.

Sunt qui existiment, immensum hoc Inane, quod unicuique cæli extima consideranti statim occurrit, (7) Chaos illud esse celebratum a poetis, de quo ita Hesiodus in Theogonia (v. 116.) πρώτιστα Χάος γένετο: *primum omnium Chaos fuit*. Sed fortasse Chaos poetarum carminibus nobilitatum, non fuit spatium quod omni corpore prorsus destitueretur, sed potius materia, cujuslibet formæ ornamento carens, ut Platonici opinati sunt; qui locum materiam esse voluerunt, in qua scilicet formæ, tamquam in vestigio & solo, collocarentur: teste Aristotele lib. 4. Physicorum cap. 9. Porro eadem fere significatione qua Platonici Vacuum accipiebant, vulgatus Divinorum Librorum interpres, Geneseos cap. 1. *terram* appellat *inanem & vacuam*, antequam scilicet aër ipsi circumfusus, die ac nocte distingueretur, eaque ornaretur a Deo, variasque rerum formas acciperet. Septuaginta, eo loco ita legunt: ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος. h. e. *invisibilis & incondita*, sive *inornata* aut *incomposita*.

De tribus hisce Vacui modis mire differentes philo-

philoſophorum opiniones monumentis litterarum traditæ ſunt. Stoici enim, auctore Zenone, ſtatuebant, ἐντὸς τοῦ κόσμου οὐδὲν εἶναι κενὸν, ἐκτὸς δὲ ἄπειρον: *intra mundum nihil eſſe Inane, extra mundum vero id infinitum eſſe*. Vacuum itaque coacervatum & diſſeminatum ex natura tollebant, (8) ſeparatum relinquebant. Quam opinionem Stoici a vetuſtiſſimis quibuſdam philoſophis acceperant; quorum meminit Ariſtoteles lib. 4. Phyſicorum cap. 8. Pythagoræi ſeparatum Inane poſuerunt quidem, id tamen cum ſubtili quodam corpore confudiſſe videntur. docebant enim, ſpiritum tenuiſſimum extra cæli oras undique diffuſum eſſe, qui nullis finibus contineretur: eum vero per quædam ſpiracula, ſive euripos, tamquam aërem a pulmonibus animalium, ab ipſo cælo aſſidue in univerſum duci: eoque ſingularum rerum naturas diſtingui ac ſeparari. Leucippus vero, Democritus, Epicurus, eumque ſecutus Lucretius, non ſolum immenſum illud Inane ultra cæli ambitum eſſe voluerunt, in quo innumerabiles mundi, præter hunc noſtrum, & orirentur & interirent: in quo atomorum concilia & diſſidia fierent; verum etiam pro diſſeminato Inani, tamquam pro aris & focis, acerrime propugnarunt: cujus tantæ contentionis cauſſas paullo poſt perſequemur. Tandem, Hero, celeberrimus Mathematicus, Prologo in Spiritalia, pluribus docet, eſſe in corporibus diſſeminatum Inane, κατὰ φύσιν, h. e. *ſecundum naturam*; neque negat, coacervatum eſſe poſſe, immo id aliquando contingere oſtendit, παρὰ φύσιν, id eſt *præter na-*

tur*æ*

turæ ordinem, & vi quadam cogente.

Videamus interea, quod initio polliciti ſumus, Utrum Inane in rebus eſſe poſſit, nec ne. Pernegant Peripatetici, & Carteſiani: ajunt Epicurei, Gaſſendus, & Angli nonnulli, viri doctiſſimi, hoc noſtro tempore florentes. Vulgares Peripatetici, magiſtri ſui Ariſtotelis doctrinam plus æquo admirati, neſcio quem Inanis horrorem, ſi diis placet, in naturam inducunt: eoque fieri dicunt, quominus (9) aqua in clepſydris contenta, vel in vaſculis ad hortos irrigandos comparatis, quum ea plena fuerint, foramine ſuperiori accurate occluſo, per inferiores meatus apertos exire poſſit. Quum enim aër externus ingreſſu prohibitus, in locum aquæ effluentis ſuccedere nequeat; iccirco ſi aqua inferius erumperet, Spatium Inane in vaſculo relinqueretur. Ajunt itaque, naturam graviſſimum hoc malum declinare ſtudentem, aquam in vaſe, quamvis apertis foraminibus, ſuſtinere. Cujus quidem rei falſam cauſſam afferunt: præter quam enim quod, horrorem Vacui brutis corporibus tribuendo, res anima & ſenſu carentes, affectionibus quas in ſe ipſi experiuntur, contaminare non verentur, (10) ut Lucretianum loquendi modum adhibeam: neque fieri poteſt ut ſi Vacuum nihil omnino ſit, quod iidem contendunt, natura id quod nuſquam eſt, tantopere reformidet; (11)

Nam ſine re nomen Vacuum eſt, fruſtraque timetur; hæc omnia quæ ob Vacui horrorem fieri, vulgo dicuntur, recentiores philoſophi, magno Torricellio duce, ponderi, preſſui, pulſui, & vi re-

vi resistendi circumstantis aëris accepta rectius ferunt. Hæc autem singula nos diligentius persequi atque explicare, temporis nobis ad dicendum præfiniti angustiæ non patiuntur. Ceterum docet Aristoteles Metaphysicorum lib. 9. cap. 7. id quod plenum est, exinaniri quidem posse, numquam tamen contingere ut re ipsa vacuum fiat; sic enim uno corpore spoliatur, ut nulla interposita mora, altero in prioris locum succedente impleatur. Quemadmodum continuum dicitur infinite dividi posse, non quod aut fuerint umquam, aut futuræ sint infinitæ partes continui reapse divisæ; verum quod illud semper dividi possit in partes plures & plures, absque ullo fine divisionis.

Jam quid Cartesiani, genus philosophorum pervicax , & suorum decretorum valde retinens , de Vacuo sentiant, consideremus. Hi quidem, Vacuum non esse , neque omnino esse posse in natura , constantissime defendunt . Nullum enim agnoscunt spatium, nullam rem magnitudine præditam, sive, ut ipsi loquuntur, *extensam*, quæ corporea non sint. Hæc autem conclusio ita Cartesianis firma, certa, atque explorata est, ut docere non dubitent, ne divina quidem virtute fieri posse, ut inter duo corpora Spatium Inane relinquatur: non minus enim rectæ rationi adversari vacuam magnitudinem, quam circulum quadratum, vel montem sine valle.

Verum (pace illorum dixerim) quum spatii cogitationem a corporis cogitatione longe diversam homines habeant, vel saltem habere se existiment, iccirco in bonæ methodi leges peccare viden-

dentur qui corporis naturam, ſive *ὀσίαν*, in aliqua ejus proprietate collocant quæ utrum ſoli corpori conveniat, an alii quoque rei, non omnino certum eſt. At, inquiunt, corporis natura in alia nulla ejus proprietate conſiſtere poteſt niſi in magnitudine, ſive *extenſione*. neque enim aut durities, aut pondus, aut figura, aut color, aut ſapor, aut ulla ſenſilis qualitas, ejus naturam conſtituere poteſt. Hæc enim omnia poſſunt in corpore mutari, & ab eo ſaltem cogitatione amoveri, ipſo incolumi permanente: ſi vero tollatur a corpore magnitudo, ſive *extenſio*, ſtatim peribit natura corporis. Eſto, ut lubet: demus ultro, a ſenſilibus qualitatibus non abſolvi corporis naturam: *extenſionem*, contra, eſſe proprietatem corporis neceſſariam. Quid tum? quomodo oſtendent Carteſiani, id quod rei alicujus ita proprium eſt, ut ſit neceſſarium, diverſis rerum generibus convenire non poſſe? Num, quæſo, neceſſe eſt, ut res omnes quæ aliquid ſimile continent, eadem prorſus natura ſint? Si verum hoc fuerit, nulla jam erit rerum diſtinctio, nulla varietas. Quamquam igitur & corpori & Spatio, tamquam neceſſaria proprietas, magnitudo tribuitur, ſunt tamen corpus & Spatium res omnino diverſæ: neutri enim deſunt proprietates aliæ neceſſariæ, ita uni convenientes, ut alteri convenire non poſſint, quibus ea ſatis inter ſe diſtinguantur, & ſeparentur.

Rectius igitur, & rationi magis convenienter, mea quidem ſententia, Keillius, & alii Newtoniani, (12) corporis naturam in ſoliditate ſitam

Q eſſe,

esse, contendunt: quæ proprietas a scholasticis hominibus *impenetrabilitas* dici consuevit. Est autem soliditas in corpore id per quod corpus aliis omnibus corporibus circumquaque prementibus resistit, & quamdiu aliquem occupat locum, alia corpora omnia, quantacumque vi ab ipsis urgeatur, illuc intrare prohibet. Animadvertere autem vos velim, studiosi adolescentes, non hic eam soliditatem a me intelligi cujus ope duriora & ficciora corpora a fluxis & mollibus discernuntur: quæ *solida* iccirco a medicis in homine appellantur. soliditas enim de qua loquor, omnibus corporibus inest, sive ea fluxa sint & labilia, sive firma & stabilia: sive mollia, sive dura: seu ægre admodum, seu nullo negotio moveantur: seu parum, seu multum ponderis habeant. Præter soliditatem porro, corpori convenit mobilitas, qua pariter proprietate satis ab Inani distinguitur. Corpus enim ab eo loco in quo situm est, alterius impulsu dimoveri potest, & alia atque alia deinceps loca occupare. Partes item corporis disjungi ac separari possunt, & in diversis locis poni, ita ut intervallis etiam longissimis inter se distent.

Spatium, contra, mentę concipimus tamquam illud in quo corpus omne locetur, & suam quodammodo regionem habeat: quod omnino penetrari a corpore possit, neque tamen ab illo tangatur: quod omnia corpora in se recipiat, neque ullius fugiat ingressum: quod neque moveri, neque agere, neque obsistere, neque ullam formam, vel figuram, vel qualitatem suscipere possit: cu-

jus

jus partes disjungi nulla vi queant, ſed ipſum immobile permanens, mobilium ſucceſſionem excipiat, motuum velocitatem determinet, rerumque diſtantias metiatur. Harum autem proprietatum Inani convenientium nonnullas memoravit etiam Cleomedes, geometres ac philoſophus præſtantiſſimus, Meteororum libro 1. cap. 1. Videtis, aut ego fallor, Auditores, hæc tam diſcrepantia & inter ſe pugnantia, nimirum quæ corporis & Spatii propria ſunt, eidem rei convenire nullo modo poſſe: ac propterea Spatium rem a corpore diverſam omnino haberi oportere.

Ceterum, quod adjiciunt Carteſiani, neque divina virtute effici poſſe, ut Spatium Inane inter duo, vel plura corpora relinquatur; id vero temerarium eſt: Dei enim potentiæ ex hominis arbitrio modum imponit, eamque anguſtis nimium finibus circumſcribit. Nonne Deus, omnia, quæ ex nihilo creavit, poteſt, ſi in animum induxerit, rurſus ad nihilum revocare? Sit igitur vas quodlibet ſolo aëre oppletum: aërem qui vaſe continetur, Deus tollat, atque in nihilum redigat, tum aliud corpus omne in ejus locum ingredi prohibeat: nonne continuo Spatium exſiſtet omni corpore Vacuum? Reſpondent Carteſiani, ſi hoc ponamus, neceſſario fore ut vaſis latera corruant, & ſe ſe mutuo contingant. Sed hac reſponſione, (13) ſua ipſi vineta cædunt: ſtatuunt enim, nullum corpus a ſe ipſo moveri. Quum igitur ponamus, nullum corpus eſſe quod vaſis latera extrinſecus comprimat, & ad ſe invicem accedere cogat, nullus propterea conſeque-

tur eorum acceſſus. Neque eſt cur poſtremo confugiant ad aërem exteriorem, vaſi undique incumbentem, ejuſque latera prementem. Preſſus enim aëris eſt vis quædam finita: ejuſmodi autem poteſt eſſe vaſis firmitas, quæ hunc preſſum tolerare poſſit: adeoque vaſi ſua figura conſtabit, neque id ullo pacto diffringetur. Nonne etiam Deus plures globos perfecte rotundos creare poſſet, uno tantum puncto ſe ſe contingentes, quæ eſt natura corporum perfecte rotundorum? Hi certe globi ſimul conjuncti Inane Spatium neceſſario exciperent. Aliis argumentis, & pulcherrimis quidem, e Geometriæ fonte derivatis, utitur Keillius, a me paullo ante laudatus, Introductionis ad veram Phyſicam Acroaſi ſecunda, ut oſtendat, Spatium eſſe poſſe nullis corporibus occupatum, ſaltem divina virtute: quem auctorem, harum rerum ſtudioſi conſulent. Jam enim alteram quæſtionem e tribus propoſitis breviter explicare aggredior: Utrum videlicet reipſa Inane ſit in univerſo, nec ne.

Leucippus, Democritus, atque Epicurus, eorumque ſectatores, affirmare non dubitant, (14) Vacuum in rebus eſſe. Nolim autem, Auditoribus meis fucum facere id quod tradit Ariſtoteles lib. 1. Phyſicorum cap. 6. Democritum ſcilicet, ſolidum, ſive plenum, ſive corpus, ſive atomos, τοῦ ὄντος, *entis* nimirum nomine donaviſſe; Inane, contra, μὴ ὄν, *non ens* appellare voluiſſe. Illud enim ita vocavit, non quod nihil omnino eſſe exiſtimaret, (15) ſed quod eſſet aliquod *non ens*, ipſi *enti*, ſive corpori, oppoſitum. Quis enim cetero-

teroquin ignorat, a ſummo illo philoſopho, Leucippi doctrinam ſecuto, prima rerum omnium principia ſtatuta fuiſſe Atomos & Inane? quæ duo tantummodo vere ac proprie eſſent in natura, &, ut ipſius vocabulo utar, ἐτεῇ; quum reliqua omnia, puta compoſita corpora, eſſe vellet ſolum νόμῳ, id eſt *lege* quadam, vel *opinione*: ea enim a judicio ſenſuum ita pendere, docebat, ut ab iis precariam quaſi naturam ſortirentur. Porro Democritus ideo Atomos *ens*, Inane *non ens* vocaviſſe videtur, quod conſuetudo fuiſſet veterum philoſophorum ferme omnium, ut materiam ſolam *entis* & *ſubſtantiæ* nomine inſignirent. Tribus vero argumentis Leucippus, Democritus, atque Epicurus, oſtendebant, Vacuum in rebus eſſe. Primum erat hujuſmodi. Si motus eſt, Vacuum eſt. Eſt autem motus. Eſt igitur Vacuum. Propoſitionem ita probabant. (16) Corporis officium eſſe ſcimus obſiſtere, impedire, ac tranſitum rebus negare. Si omnia igitur in univerſo corporibus conferta & ſtipata fuerint, nullo interpoſito Inani, quomodo corpus ullum moveri poterit? Sane, ut corpus aliquod moveatur, neceſſe eſt, alia corpora ipſi proxima de via quaſi decedere, ac locum dare. Quo pacto autem locum dabunt, ſi & ipſa finitimis corporibus impediantur, quominus recedere poſſint? Corpus igitur quietis cauſſa aliis corporibus eſſe videtur: Inane, contra, motus. Quod piſcium exemplo illuſtrat Lucretius (lib. I. verſ. 371. & ſeqq.) Sunt qui fingant, ait, piſcibus in aqua nitentibus, & ulterius pergentibus, ideo cedere undas, (17) viam-

que efficere, quod retro loca quædam relinquant piſces, quo undæ ad latera cedentes demum confluere poſſint. Hoc ipſe commentum ita exſibilat:

Scilicet id falſa totum ratione receptum eſt.
Nam quo ſquamigeri poterunt procedere tandem,
Ni ſpatium dederint latices? concedere porro
Quo poterunt undæ, quum piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum eſt corpora quæque,
Aut eſſe admixtum dicendum eſt rebus Inane:
Unde initum primum capiat res quæque movendi.

Motum porro eſſe, memorati philoſophi non argumentis quidem, at ſolo ſenſuum teſtimonio abunde liquere exiſtimabant: quo primam rerum fidem fundatam eſſe, iiſdem placebat. Nimirum Zenonis Eleatæ, Parmenidis item atque Meliſſi frigidas argutias, & contortas concluſiunculas floccifaciebant, qui nimio philoſophandi ſtudio ad inſaniam pæne redacti, eo vires ingenii contulerant, ut motum omnem ex natura tollerent, atque omnia eſſe unum, oſtenderent, idque æternum atque immutabile. (18) Eadem enim propoſitione uſi Parmenides ac Meliſſus, qua Leucippus, Democritus, atque Epicurus: Si motus eſt, Vacuum eſt: id deinde ſumebant: Non eſt autem Vacuum: ex quo colligebant, non eſſe motum. Utrique tamen eo conſentiebant, quod exiſtimarent, motum ſine Vacuo eſſe non poſſe. Quemadmodum vero eſſe motum, ſenſu percipimus, tametſi difficillimum ſit motus naturam penitus cognoſcere atque explicare: ita Democritus, & reliqui Democriti placita probantes, contendebant, rationem teſtari Vacuum eſſe, quam-

vis non diffiterentur, philoſophos vix explicare poſſe, in quo Vacui natura conſiſtat.

Porro, quum eodem ſenſuum teſtimonio multitudinem rerum in univerſo deprehenderent, propterea cenſebant, res a rebus interjecto Inani diſtingui, alioqui unum & idem futuras. Docebant etiam, Id quod ſit vere unum, plura effici non poſſe; adeoque nullum Inane ab eo contineri: Inane enim interjectum diviſionis rerum cauſſam eſſe. Hac vera *unitate* ſolam atomum præditam eſſe, jactabant: quod nulla res, niſi atomus, Vacui ac diviſionis expers, tum ſolida eſſet atque immortalis. Cetera corpora ex atomis compoſita, *unitate* ſpoliabant: quum ſcilicet Inane contineant, & in partes tribui poſſint; nimirum in atomos tandem ipſas.

Alterum argumentum quo Leucippus, Democritus, atque Epicurus Vacui neceſſitatem in rebus oſtendere conabantur, petitum ex eo erat, quod videamus, eadem ſæpe corpora dilatari ac rarefieri, rurſum vero contrahi & coanguſtari, ita ut majori & minori ſpatio ſubinde contineantur. Id autem, ſi hos philoſophos audias, evenire nullo modo poſſet niſi corporibus Inane admixtum eſſet. Quum enim corpora ſe contrahunt, quo tandem illorum partes confugiant ac recedant, niſi ſpatia ſint exigua, hic illic diſſeminata, omnique corpore vacantia, quibus, tamquam parvis vaginis, partes corporum recedentes excipiantur? Quumque jam contracta fuerint, minoremque locum occupaverint, ſed idem tamen pondus habere deprehenduntur quod ante contractio-

nem obtinebant; nonne manifesto declarant, se jam Vacui minus quam antea, comprehendere? Eodem pacto quum explicantur, attenuantur, & in majorem speciem augentur, nullo tamen pondere addito, & eadem materiæ quantitate permanente; nonne locus præsto esse debet vacans corpore, quem rarefacta & dilatata rursum occupare incipiant?

Postremum argumentum conclusioni suæ stabiliendæ iidem philosophi ab animalium & plantarum alimento atque incremento petebant. (19) Animalia enim ac plantæ, ut ipsis quidem videbatur, nutriri, crescere, & ad justum magnitudinis modum pervenire nullo pacto possent si omnia in eorum corporibus plena & conferta essent. Nam neque viæ ullæ paterent per quas alimentum ad venas deferretur: neque corpus refici atque impleri postularet si nihil hiulcum & inane in eo inveniretur.

Quid porro ad hæc argumenta Aristoteles, acerrimus ille, ut novistis, Vacui inimicus? Vir maximus, qua est confidentia, animique fortitudine, facile admodum, si non rationum momentis, at ipsa auctoritate & supercilio singula evertit. Contendit enim primo, si Vacuum e natura tollatur, non omnem continuo motum sublatum iri: sed fore ut relinquatur saltem is motus quem vocant ἀλλοιώσεως, sive *alterationis*: posse enim & plenum immutari, puta calefieri ac frigescere. Quando tamen corpora immutantur, & diversas qualitates deinceps accipiunt; utrum id contingat aliorum corporum adventu aut discessu,

ſu, vel ſaltem particularum ejuſdem corporis quod immutatur, trajectione, ita ut nulla fiat ἀλλοίωσις ſine motu quem *localem* appellant; nec ne; viderit Ariſtoteles, ac tota cum illo Peripateticorum ſchola.

Deinde oſtendere conatur, poſſe corpora quælibet abſque ope Inanis dilatari & coanguſtari, ſeu denſa & rara fieri. Id enim docet ab aëre proficiſci, vel alio corpore incluſo. aër enim, ait Ariſtoteles, vel aliud ſimile corpus, quum res contrahuntur, exprimitur: quum explicantur, rurſum ingreditur. Sed & motum *localem* ſine Vacuo exſiſtere poſſe, ita oſtendit Ariſtoteles. Poteſt, inquit, unum corpus alterius locum ſubire, ſi alterum illud loco cedat: quemadmodum quum lapis aquam, verbi cauſſa, ingreditur, aqua continuo cedit: aquæ vero proximæ cedit alia aqua, & ita deinceps. Hinc fluctus illi ac vortices quos in aqua & aliis corporibus humidis, quum ea dividuntur, animadvertere licet. Sed (bona cum tanti philoſophi venia loquar) nemo ruſticorum id neſcit, corpora ſcilicet corporibus in motu cedere. opinor, id explicandum erat, quomodo corpora, nullo interjecto Inani, cedere aliis poſſint. De hoc vero altum apud Ariſtotelem ſilentium. Hoc tamen opus, hic labor.

Præterea, quod intelligi vix poteſt, eam Ariſtoteles communi rerum materiæ facultatem tribuit, ut quum *actu* nihil ſit, poteſtate omnia; iccirco varias deinceps formas induere poſſit, & ſine alterius adminiculo plurima efficere quæ admirabilia videantur: puta ex frigida calida, ex

cali-

calida calidior; ex parva magna, ex magna iterum parva, ex tenujori craſſior, ex craſſiori tenujor fieri. Quæ reſponſio, perplexa nimis & obſcura, utrum veterum philoſophorum pro Inani argumenta diſſolvat, quæ invicta olim, & ἀδιάλυτα cenſebantur, doctioribus atque acutioribus dijudicandum relinquo.

Rationi demum ab animalium plantarumque alimento petitæ, tribus verbis occurrit Ariſtoteles. Ait enim, poſſe corpora augeri nullo alio corpore recipiendo, ſed ſola mutatione: quemadmodum quum aqua mutatur in aërem, creſcit, & ſpatium majus incipit occupare. Hæc tamen doctrina, ut videtis, pari obſcuritatis vitio laborat atque aliæ quas adhuc memoravimus.

Illud palmare ſupereſſet quod ad Vacuum e natura exterminandum affert Ariſtoteles, de mobilium ſcilicet velocitate, comparata cum vi reſiſtendi *mediorum*, ut appellant: in qua quidem re, ſollertiſſimo Galilæo teſte in Syſtemate Coſmico, falſa multa pro certis atque exploratis philoſophus noſter poſuit: id tamen lubens omitto, ne vobis longiori oratione moleſtior ſim.

Ceterum Democriti atque Epicuri ſententiam de Inani corporibus admixto, Petrus Gaſſendus, vir ingenio doctrinaque præſtantiſſimus, & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, non ſolum probavit, verum etiam longius provexit, quum ſuſpicatus eſt, immenſa illa cæli ſpatia per quæ ſtellæ inerrantes, & vagæ converſiones ſuas abſolvunt, materiæ omnis expertia eſſe, vacua, & immobilia. Suſpicionem Gaſſendi poſtea confirmavit celeberrimus Newto-

Newtonus. de quorum opinionibus memini me copiosius locutum in Oratione *de Cæli Natura & Substantia*, quæ non ita pridem edita est. *Lunam & stellas volitare per inania mundi*, cecinerat Manilius (lib. I. Astronomicon versu 200.), non sane quod intervalla illa cælestia omni corpore destituta esse, putaverit; sed more poëtarum, qui tenuissimum ætherem, & aërem ipsum interdum, *inanem* appellare amant, ut sermonis initio monuimus.

Hic aliquis fortasse ex me scire cupiat, si Vacuum sit, vel saltem esse possit in universo, quo mea propendere sententia videatur; quænam tandem sit Vacui natura. Num illud est aliquid re ipsa porrectum, veraque dimensione præditum: an sola corporis privatio & absentia? Quod si sit *actu*, orietúrne ejus magnitudo tantummodo ex *relatione* ad corpora quæ ipso continentur, aut contineri possunt, nihilque aliud erit quam capacitas mera; & ad eamdem rerum classem pertinebit ad quam spectant mobilitas & vicinitas? Utrum id creatum, an æternum; finitum, an infinitum est? His vero tot tantisque explicandis imparem esse me, fateor; præsertim quum summorum virorum, Aristotelis, Cartesii, Gassendi, Newtoni, hac de re contentiones & dissidia mecum reputo. id unum ajo, Vacuum, sive Inane, quamdiu nullo corpore occupatur, concipi oportere tamquam Spatium corpore carens, quod tamen eo impleri possit: quum vero corpus excepit, esse jam regionem ac locum corporis, & interiorem quidem. Longe enim absum ab Ari-

stote-

ſtotelis opinione, qui locum exteriorem ſolum agnoſcit, illumque nihil aliud eſſe cenſet quam ſuperficiem cavam corporis proxime ambientis; adeoque docet, ultimum cælum in loco non eſſe, quod nimirum extra illud nullum corpus inveniatur. Ceteras quæſtiones, qui poteſt, expediat, (20) *& erit mihi magnus Apollo.*

Eorum tamen philoſophorum ſententiam veriſimillimam judico qui Vacuum, materiæ cujuslibet ab aliquo loco abſentiam, vel privationem eſſe, docent: ſive illam extra rerum univerſitatem, ſive inter corpora quæ hac univerſitate continentur, vel inter ipſorum partes animo fingamus. Quod ſi dixerint Peripatetici, & Carteſiani, hujuſmodi abſentiam nihil omnino eſſe, quemadmodum & ſilentium, & tenebræ, & vitium, & miſeria, & (21) reliquæ privationes nihil ſint, id lubens conceſſero: dummodo ipſi contra fateantur, eam ab hominibus concipi tamquam rem aliquam, corpori & materiæ oppoſitam: quod mentis noſtræ imbecillitati tribuendum eſt. Conſueverunt enim homines non ſolum rerum quæ ſunt, neque cogitatione noſtra indigent ut ſint, verum etiam privationum defectionumque multarum & naturas fingere, & nomina uſurpare. Hæc tamen pudens & ingenua conceſſio philoſophis illis nihil prodeſt qui quum Deum Optimum Maximum omnis materiæ conditorem agnoſcant, omnia corporum plena eſſe, neque ullum relinqui Spatium poſſe corpore Vacuum, affirmant. Qui enim ita ſentiunt, eorum erroris videntur affines qui libertatem Deo adimentes, ajebant, eum ab

omni

omni æternitate res condidiſſe, ne ſcilicet ullo tempore creata corpora defuerint; vel ab eo nullis finibus mundum circumſcribi potuiſſe, ne ſcilicet locus ullus relinqueretur vacans corpore: quorum utrumque quum falſum eſt, tum a Divina Majeſtate longiſſime abhorret. Fuit igitur tempus, aut certe æternitas aliqua, quum corpora nulla eſſent: ſunt certi rerum univerſitatis fines, extra quos Deus, ſi inducat in animum, nullo negotio res novas creare poteſt: nihil etiam vetat, duo eſſe vel plura corpora in univerſo, quæ, nullo alio corpore medio, inter ſe diſtent. Si quis ita de Inani opinatur,

(22) *Et ſapit, & mecum facit, & Jove judicat æquo.*



AN-

ANNOTATIONES
IN SUPERIOREM
ORATIONEM.

(1) *annulos læva manu geſtabant*] Id teſtatur præter alios Silius Italicus lib. 8. Belli Punici verſu 677. ubi de annulis aureis cæſorum equitum Romanorum, quos poſt Cannenſem cladem Pœni victores modio metiebantur.

Congeſto, lævæ quodcumque avellitur, auro
Metitur Latias victrix Carthago ruinas.

(2) *aërem .... nullum eſſe corpus*] Huic vulgi opinioni blanditus Valerius Flaccus Argonauticon lib. 1. verſ. 421. *ventos* appellavit *vacuos*:

-- -- -- -- *ſaltem in vacuos ut brachia ventos*
Spargat -- -- -- -- -- -- -- -- -- --

(3) *Utres enim aëre diſtenti ſuſtinent pondera*] Huc pertinet quod narrat Ælius Lampridius de Antonino Heliogabalo, bipedum nequiſſimo, in ejus Vita cap. 25. *Multis vilioribus amicis*, inquit, *folles pro accubitis ſternebat, eoſque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque ſubito ſub menſis invenirentur prandentes. Primus denique invenit ſigma in terra ſternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad reflandum ſpiritum ſolverentur.* Ad quem locum Lampridii hæc ſcribit Caſaubonus: *Fit hodieque & nos vidimus in Helvetia, ut pulvilli qui ſedentibus ſubjiciuntur, non tomento aut pluma inferciantur, ſed vento inflentur: qui ſi non diſtenduntur nimis, molliſſimam ſeſſionem præbent.*

(4) &

(4) *& vera nomina rebus imponere*] Hoc summo jure philosophi utuntur, ut non solum antiquis vocabulis novas affingant significationes, verum etiam, si res aliqua obscura & explicatu difficilis usitatis & vulgo receptis nominibus satis commode significari nequeat, ad nova & inaudita confugiant. Male enim omnino ageretur cum universa philosophia si cogitationes hominum acutissimorum de rebus plerumque sublimibus, & a vulgarium hominum cognitione longe remotis, nonnisi trito sermone communibusque vocabulis declarari possent. Immo, non erraverit, si quis affirmet, linguas in dies augeri & locupletari ab ingeniis philosophorum, qui quum res mente volvant atque percipiant de quibus popellus ne suspicatur quidem, necesse habent ea verba sæpius adhibere quæ civium auribus incognita sunt. Vide Christiani, Wolfii Logicæ partem 1. sect. 2. cap. 4. §. 165. Quapropter Lucretius lib. 1. de Rerum Natura vers. 137. ita sapienter cecinit:

Nec me animi fallit, Grajorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse
(*Multa novis verbis præsertim quum sit agendum*)
Propter egestatem linguæ & rerum novitatem.

Neque injuria Horatius querebatur, a morosis quibusdam severisque censoribus novorum vocabulorum usum sibi invideri: qui scilicet maluissent, scriptorem quemlibet fines majorum non egredi, & antiqua tantum verba frequentare.

-- *ego* (inquit in Arte Poet. vers. 55.) *cur adquirere pauca,*
Si possum, invideor? quum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit. licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota procudere nomen.

Verum in hanc rem memoratu dignissimus est locus

locus ex libro primo Academicarum Quæstionum M. Tullii ad M. Varronem: *Qualitates igitur*, inquit, *appellavi quas ποιότητας Græci vocant: quod ipsum apud Græcos non est vulgi verbum, sed philosophorum; atque id in multis. Dialecticorum quoque verba nulla sunt publica: suis utuntur. Et id quidem commune omnium fere est artium. aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. Quod si Græci faciunt, qui in iis rebus tot jam sæcula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primum tractare conamur? Tu vero, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus si eos non modo copia rerum auxeris, sed etiam verborum.* Idem lib. 3. de Finibus: *Dialectici & Physici verbis utuntur iis quæ ipsi Græciæ nota non sunt. Geometræ vero, Musici, Grammatici etiam more quodam loquuntur suo. item ipsæ Rhetorum artes, quæ sunt totæ forenses atque populares, verbis tamen in docendo quasi privatis utuntur, ac suis. Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi.* -- -- -- -- -- -- -- -- *Quo magis hoc philosopho faciendum est: ars est enim philosophia vitæ: de qua differens arripere verba de foro non potest. quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima nominaverunt. Zeno quoque eorum princeps, non tam rerum inventor fuit quam novorum verborum.* Hactenus Cicero. Quorum sapientissimorum virorum auctoritati addenda est auctoritas Aristotelis, qui in libro κατηγοριῶν, capite *de his quæ dicuntur ad aliquid*, sive *de relatione*, ait, necessarium aliquando esse homini philosopho ὀνοματοποιεῖν, i. e. *nomina fingere*, quum scilicet nulla sunt nomina usitata quæ relationes quasdam recte exprimant. Quapropter doctissimi quique homines, bona cum venia pædagogorum, si res ipsa postulare videatur, a no-

a novis vocabulis usurpandis nequaquam abstinent. Satis mihi erit Dionysii Petavii, summi Theologi, & πολυμαθεςάτε testimonium afferre, qui libro 3. de Deo Deique proprietatibus cap. 10. num. 4. quum vertisset illa verba D. Dionysii quæ leguntur capite 1. de Divinis Nominibus: τὸν αὐτὸν, ἐγκόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, ὑπερουράνιον: *eumdem immundanum, circummundanum, supermundanum, supercælestem;* ita scribit: *Licebit enim Dionysii imitatione, nova, minusque Latina, sed necessaria, comminisci vocabula.* Verum hæc παρεκβατικῶς dicta sunto.

(5) *cujusmodi extra mundi oras porrigi atque diffundi, quilibet sibi fingere solet*] D. Augustinus lib. 11. de Civitate Dei cap. 5. quum eorum philosophorum errorem confutandum suscepisset qui mundum in tempore a Deo fieri non potuisse, ajebant; ne scilicet videretur Deus consilium & voluntatem subito mutavisse; urget illos exemplo spatii, seu loci, extra universum infinite diffusi, quem tamen locum Deus occupare non debuerit mundis innumerabilibus, aut unico quidem universo, sed nullis finibus circumscripto. *Nam si*, inquit sanctus Doctor, *infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse, similiter cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur; ea tantum differentia, quod ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit, & resolvi, isti autem opere Dei factos dicturi sunt, si eum per interminabilem immensitatem locorum extra mundum circumquaque patentium vacare noluerint, nec eosdem mundos, quod etiam de isto sentiunt, ulla caussa posse dissolvi?* Hanc tamen cogitationem de immenso extra universum spatio

R futi-

futilem aliquibus videri posse, non obscure significat idem Augustinus verbis quæ sub finem capitis legere est: *Quod si dicunt, inanes esse hominum cogitationes quibus infinita imaginantur loca, quum locus nullus sit præter mundum; respondetur eis, isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, quum nullum tempus sit ante mundum.*

(6) *magnum Inane vocavit*] Id ita prius appellaverat Lucretius, quum aliis in locis, tum lib. 2. de Rerum Natura v. 108.

Multaque præterea magnum per Inane vagantur,
Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
Consociare etiam motus potuere recepta.

Porro Virgilius plurium quidem veterum philosophorum sententias cognoscere studuit, præcipue tamen Epicuri ac Platonis, ut Donatus in Vita Poëtæ testatur: *Audivit a Scirone præcepta Epicuri: cujus doctrinæ socium habuit Varium. Quamvis diversorum philosophorum opiniones libris suis inseruisse, de animo maxime videatur, ipse tamen fuit Academicus: nam Platonis sententias omnibus aliis prætulit.* Sed & Maro ipse in Catalectis, Scironis Epicurei, qui temporibus Augusti magna sapientiæ laude florebat, tamquam præceptoris sui, mentionem facere videtur; ait enim, scholasticorum, rhetorum, poëtarum denique studia dimittens:

Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Scironis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.

(7) *Chaos illud esse celebratum a poëtis*] Clericus ad eum Hesiodi locum ita scribit: Χάος, *Phœnicia, seu Hebraica lingua est* thohou, vabohou, *hoc est* immensum Inane: *Græcis autem dicitur* ἀπὸ τῦ

χαίνειν,

χαίνειν, hiare; *quia vaſa vacua* hiare *dicuntur*. *Perinde ergo eſt ac ſi Heſiodus diceret, fuiſſe tempus quo nihil erat eorum quæ videmus; quod cum Moſaica rerum geneſi conſentit*.

(8) *ſeparatum relinquebant*] Plutarchus lib. 2. de Placitis Philoſophorum cap. 9. ita ſcribit: *οἱ δὲ Στωϊκοὶ (ἐκτὸς εἶναι τȣ͂ κόσμȣ κενὸν) εἰς ὃ κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν ἀναλύεται τὸ ἄπειρον. Ποσειδώνιος ȣ̓κ ἄπειρον, ἀλλ᾽ ὅσον αὔταρκες εἰς τὴν διάλυσιν, ἐν τῷ πρώτῳ περὶ κενȣ͂*. id eſt: *Stoici opinati ſunt, extra mundum infinitum eſſe Inane, in quod ſcilicet conflagratione ſua mundus diſſolvatur. Poſidonius vero, in primo libro de Inani, non infinitum, ſed quantum diſſolutioni ſit ſatis*. Hanc Stoicorum & Poſidonii ſententiam pulchre attigit Valerius Flaccus, poëta doctiſſimus, Argonauticon lib. 1. v. 827.

Cardine ſub noſtro rebuſque abſciſa ſupernis
Tartarei ſedet aula patris: non illa ruenti
Acceſſura polo, victam ſi ſolvere molem
Juppiter, & primæ velit omnia reddere maſſæ:
Ingenti jacet ore Chaos; quod pondere feſſam
Materiem, labſumque queat conſumere mundum.

In quibus Flacci verbis tria licet animadvertere: primum, *aulam patris Tartarei ſupernis rebus abſciſam* non obſcure ſignificare χωριςὸν illud, ſeu *ſeparatum* Inane, quod Zenoni, extra rerum univerſitatem eſſe, placebat. Neque tamen diffitebor, poſſe apud Valerium intelligi polum antarcticum, apud quem regiones mortuorum, & Plutonis domum fabellæ veterum collocabant. Illa enim, *Cardine ſub noſtro*, oſtendunt *cardinem*, ſive *polum*, arctico, qui ſemper nobis apparet, oppoſitum. De hiſce duobus cardinibus ita Virgilius Georg. lib. 1. verſ. 242.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.

Porro idem poëta Mantuanus Æneid. lib. 6. verſ. 268. *inania regna* Plutonis appellavit:

Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.

Deinde, quod ait Valerius Flaccus, *Ingenti jacet ore Chaos*, confirmat etymologiam hujus vocis *Chaos*, quam attulimus proxima annotatione; nempe id vocatum fuiſſe ἀπὸ τοῦ χαίνειν, *ab hiando:* nam *hiare*, proprie eſt ore aperto atque diducto ſpiritum efflare. Poſtremo, ea quæ ſequuntur: *quod pondere feſſam Materiem, labſumque queat conſumere mundum*, illis Poſidonii pulchre reſpondent: αὔταρκες εἰς τὴν διάλυσιν, *quantum diſſolutioni ſit ſatis.*

(9) *aqua in clepſydris contenta*] Ariſtoteles Problematum ſectione 2. num. 1. Διὰ τί, ait, οὐδὲ κατέχουσι τὸ πνεῦμα γίνεται ἱδρώς, ἀλλὰ μᾶλλον ἀνεῖσιν; ἢ ὅτι τὸ πνεῦμα κατεχόμενον πληροῖ τὰς φλέβας· ὥστε κωλύει ἐξιέναι; ὥσπερ τὸ ὕδωρ τὸ ἐκ τῶν κλεψυδρῶν, ὅταν πλήρεις οὔσας ἐπιλάβῃ τις. ὅταν δὲ ἐξέλθῃ, πολὺς γίνεται, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἐπιλήψια ἀθροισθῆναι κατὰ μικρόν. id eſt: *Cur neque intendentibus, neque continentibus ſpiritum, ſed potius relaxantibus, effluit ſudor? An quoniam retentus ſpiritus venas implet, itáque* ſudorem *exire prohibet? ut in aqua fit clepſydrarum, quum quis pleno jam vaſe, partem alteram obturavit: ubi vero ſpiritus remiſſus eſt, multus erumpit* ſudor; *ipſa enim retentione, copia ejus paullatim collecta eſt.* Vide & ſectionem 16. Problematum num. 8.

(10) *ut Lucretianum loquendi modum adhibeam*] Lucretius lib. 3. de R. N. verſu 892. ubi de hominum ſtultitia, quos miſeret cadaverum inſepultorum, & a feris laniatorum, ita elegantiſſime:

Vivus enim ſibi quum proponit quiſque, futurum,

Cor-

Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque,
Ipse sui miseret: neque enim se vindicat hilum,
Nec removet satis a projecto corpore; & illud
Se fingit, sensuque suo contaminat *adstans.*

(11) *Nam sine re nomen Vacuum est, frustraque timetur*] παρῳδία est versiculi Ovidiani ex Elegia 3. lib. 3. Amorum:

Aut sine re nomen Deus est, frustraque timetur, &c.

(12) *corporis naturam in soliditate sitam esse, contendunt*] Quod & aliquibus veteribus philosophis persuasum fuit. Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotyp. lib. 3. cap. 5. τινὲς δὲ σῶμα εἶναι λέγουσι τὸ τριχῆ διαστατὸν μετὰ ἀντιτυπίας. i. e. *Nonnulli autem corpus esse dicunt quod tres habet dimensiones cum resistendi vi*. Petrus autem Gassendus Physicæ sectione 1. lib. 3. cap. 6. ita scribit: *Hic nota, quum videatur posse adjici ex Empirico, locoque ante recitato,* ἀντιτυπία, vis resistendi, *seu* resistentia; *hac tamen voce intelligi non tam proprietatem, quam ipsammet corporis tribus reliquis subjectam naturam,* τὸ ὑποκείμενον (*ut Philoponus illud genus Democriti interpretatur*) *soliditatem scilicet, ex qua est ipsa resistentia. Argumento est, quod illic agatur de ratione intelligendi corpus: tale autem primario concipitur id quod (secus quam Inane, cui opponitur) & solidum est, & resistendi proinde capax. Quamquam & nihil forte vetat, tam ipsam resistentiam, seu vim resistendi, quam soliditatem proprietatem dici, ea ratione qua nihil magis cujusque rei proprium est quam ipsamet ejus substantia. Eam certe ob caussam videtur Lucretius pro eodem habuisse quem appellat* tactum, *seu, si clarius velis*, tangibilitatem, *quæ etiam a soliditate, & vi resistendi non differt, scilicet illo carmine:* (lib. 1. de R. N. vers. 455.)

Tactus corporibus cunctis, intactus Inani.

Ut taceam, posse ἀντιτυπίαν *ad gravitatem revocari, quatenus rem gravem intelligimus ex nisu, quo nobis attollentibus resistit; & hanc fortassis fuisse caussam, cur Aphrodisiæus proprietates atomorum enumerans, non gravitatis meminerit, sed illius loco,* τῆς ἀντιτυπίας, *quam solam figuræ, magnitudinique adjunxit.*

(13) *sua ipsi vineta cædunt*] Horatius Epist. 1. lib. 2. vers. 220.

Ut vineta egomet cædam mea.

(14) *Vacuum in rebus esse*] Operæ pretium est audire Lucretium, Epicuri decreta exponentem, lib. 1. de R. N. vers. 420.

Omnis, ut est, igitur, per se, natura, duabus
Consistit rebus; nam CORPORA SUNT ET INANE,
Hæc in quo sita sunt, & qua diversa moventur.

& paullo post, versu 427.

Tum porro locus, ac spatium, quod Inane vocamus,
Si nullum foret, haud usquam sita corpora possent
Esse, neque omnino quaquam diversa meare.

In quibus versibus illud præcipue animadversione dignum est, tam longe absuisse Epicurum atque Lucretium ab eorum philosophorum opinione qui magnitudinem soli corpori tribuunt, ut potius voluerint, corpus magnitudinem, & partes quas habet, spatio debere, in quo situm & locatum est. Iccirco enim corpus hac & illac porrigitur, & per partes explicatur, quoniam ipsi spatium subest, quod ejus partibus aream, ut ita loquar, & sinum præbeat. Sublato igitur spatio, peribit corporis magnitudo, & cum magnitudine, ipsa ejus natura. Ut enim sapienter monet D. Augustinus Epist. 187. num. 18. *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt.*

(15) *sed*

(15) *ſed quod eſſet aliquod non ens* &c.] Nonne ipſemet Ariſtoteles privationem formæ oppoſitam numerat in tribus principiis corporis naturalis? quum tamen privatio proprie ſit *non ens*, & nihil aliud quam abſentia formæ a ſubjecto apto ad formam accipiendam; ut ab ipſo docemur quum aliis locis pluribus, tum Primæ Philoſophiæ lib. 10. cap. 7. Quapropter mirum fortaſſe videatur, hunc philoſophum, acerrimum privationis patronum, tantas cum Vacuo inimicitias ſuſcepiſſe, nam eo pacto quo privatio eſt abſentia formæ, Vacuum eſt abſentia corporis, ſeu ſpatium corpore deſtitutum, quod eo repleri poteſt. Non tamen diſſimulaverim, eo maxime diſcrepare privationem & Vacuum, quod privatio ſit abſentia certæ ac determinatæ formæ, non omnis omnino formæ; Vacuum vero ſit abſentia omnis omnino corporis.

(16) *Corporis officium eſſe ſcimus obſiſtere*, &c.] Epicurus, teſte Lucretio, decretorum ejus interprete, nullam tertiam naturam vel eſſe, vel excogitari poſſe, affirmabat, præter Corpus & Inane. Quidquid enim ſit, magnitudine aliqua præditum eſſe oportere, docebat, vel ampla, vel modica, vel exigua certe. quod ſi tangi ab alio, vel percelli poſſit, in corporibus jure numerabitur: ſin tactum omnem reſpuat, neque ullo modo corporibus permeantibus obſiſtat, immo tranſeundi facultatem ipſis largiatur, Inane cenſendum erit: quod neque facere quidquam, neque perpeti poteſt: hæc enim duo ſolis corporibus conveniunt. Propterea idem Epicurus Inane appellavit χώραν, hoc eſt *regionem*; & διάστημα, nempe *ſpatium* & *intervallum*.

(17) *viamque efficere*] Tibullus Eleg. 6. lib. 1. verſ. 27.

Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ
Subjicietque manus, efficietque viam.

(18) *Eadem enim propositione usi Parmenides ac Melissus*] Vide Aristotelem lib. 4. Physicorum cap. 8.

(19) *Animalia enim ac plantæ*] Lucretius lib. I. de R. N. vers. 347.

Præterea quamvis solidæ res esse putentur,
Hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas:
In saxis, ac speluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis:
Dissupat in corpus se se cibus omne animantum:
Crescunt arbusta, & fœtus in tempore fundunt,
Quod cibus in totas usque ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omnes:
Inter sæpta meant voces, & clausa domorum
Transvolitant: rigidum permanat frigus ad ossa.
Quod nisi inania sint, qua possent corpora quæque
Transire, haud ulla fieri ratione videres.

(20) *& erit mihi magnus Apollo*] Virgilius Ecloga 3. versu 104.

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas.

(21) D. Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 16. *Sed quid est oblivio, nisi privatio memoriæ?* Videndus idem ejusdem operis lib. 12. cap. 3.

(22) *Et sapit, &c.*] Horatius Epist. 1. lib. 2. versu 68.



JOAN-



JOANNIS ANTONII VULPII

PUBLICI PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS,

O R A T I O

D E L O C O,

Habita in Gymnasio Patavino VIII. Idus Novemb.
ANNO DOM. MDCCXXX.



SEMESTRIBUS feriis exactis, Auditores optimi, quæ & nos & studiosos adolescentes, docendi labore, audiendique molestia defessos, ad quietem ac otium quotannis traducunt, intermissas disputationes, Divina Ope prius implorata, ea qua par est animi alacritate rursus aggredimur. Explicaturi sumus hoc anno libros Aristotelis de Cælo, nec non de Ortu atque Interitu, sive, ut aliis appellare placet, de Generatione & Corruptione. Ne igitur illotis, quod ajunt, manibus rem ipsam continuo tractaremus, aut de nostra consuetudine cito nimis desistere videremur, aliquid hodie

hodie præfandum exiſtimavimus, non ex umbra rhetorum, vel e ſcholis declamatorum petitum, ſed argumento nobis ad explicandum propoſito nequaquam alienum. Loci propterea naturam ac definitionem inveſtigabimus: quæ diſquiſitio & cum doctrina de Cælo conjuncta eſt, & ad corporum quotidie orientium atque occidentium compoſitionem ac diſſolutionem vel maxime pertinet. Cælum etenim, ſi Ariſtotelem audimus, (1) Locus eſt communis rerum omnium quæ hac univerſitate continentur: neque ipſum per ſe eſt in Loco. Motus porro, ſummus Naturæ miniſter, cujus operâ dierum & noctium viciſſitudo exſiſtit, anni tempora mutantur, ſtirpes aluntur & creſcunt, vivunt animalia, ſanguine ſcilicet e corde effluente, atque ad idem cor mirabili circuitu aſſidue recurrente: motus, inquam, ſine quo nulla generatio futura eſſet, verum omnia ſegnia, ſterilia, confuſa, inornata, quin potius horrendis tenebris obſita ac circumfuſa torperent, ablato Loco neque expediri, neque adeo intelligi poteſt. Quid enim aliud eſt motus quam corporis de uno in alium Locum translatio? Videtis, niſi fallor, Auditores, quemadmodum *ignorato motu neceſſe eſt ignorari naturam* (quod ſapienter philoſophus noſter monuit initio libri tertii Phyſicorum) ita ad motum cognoſcendum, egregie conducere Loci cognitionem. Enimvero ſi quis rerum ortum atque interitum a motu & Loco potiſſimum pendere, minus perſpectum habeat, eum cogitare oportet, motum fuiſſe qui, pluribus jam ſæculis a mundi exordio ad hæc uſ-

que

que tempora elapsis, longa & continua patrum serie, nos tandem *in dias luminis oras* (ut Lucretii verba usurpem) produxit: motum pariter esse qui, postquam (2) brevem lucis usuram sortiti sumus, nos paullatim auget, fovet, confirmat; mox atterit, minuit, consumit, donec ex hoc quasi theatro exeuntes, novis actoribus (3) decedamus, & (4) vitæ lampadem, tamquam decurso spatio, post nos victuris per manus tradamus. Tum vero corpora quibus utimur, in elementa solvuntur: quæ propriis recepta Locis, & ad sui similem collecta naturam, tantisper quiescunt, dum rursum ad novas res efficiendas inde evocentur. hunc autem ludum ludere numquam cessant. Quæ quum ita sint, tria præcipue hodierna disputatione exsequemur. Primum scilicet, quid vulgus hominum sentiat de Loci natura & proprietatibus, diligenter memorabimus. Deinde opiniones philosophorum afferemus; præcipue vero Loci definitionem ab Aristotele traditam expendentes, eam rebus manifestis adversari, ostendemus. Postremo sententiam nostram super hac re, doctissimorum virorum auctoritati, rationumque ponderibus innixam, proponere non verebimur. Id unum vestrum est, Auditores humanissimi, hominem de philosophiæ studiis bene merendi cupidum, eo quo soliti estis favore prosequi, & voluntate complecti.

Quæstionem de Loci natura, in illis numerandam esse quæstionibus quæ obscuritate ac difficultate sua, philosophorum ingenia torquere solent, nemo diffitebitur qui considerare voluerit, quan-

quantum Loci definitio ab Ariſtotele allata diſpliceat Epicureis, & reliquis omnibus qui ſpatium nullo corpore occupatum, & tamen trina dimenſione præditum, non ſolum ſe animo concipere poſſe, affirmant, verum & neceſſarium eſſe in natura, contendunt: qua de re memini me hinc multa verba facere anno ſuperiore, in ipſa ſtudiorum inſtauratione. Nimirum ita comparata eſt ratio Loci atque temporis, ut quum ambæ res cognitu facillimæ videantur, utraque tamen valde perplexos explicatus habeat. Quotus enim quiſque eſt qui tempus non ſe cognoſcere arbitretur? pueri omnes & mulierculæ, hujuſmodi ſcientiam profitentur: ſi tamen ex eorum aliquo exquirere inſtituas, quid ſit tempus, æſtuabit ſtatim dubitatione, ac quo ſe vertat, neſciet. Id porro neque viri ſapientes, nedum e plebe homines, facile expedire poſſint. *Quid familiarius*, inquit D. Auguſtinus lib. 2. Confeſſionum cap. 14. *& notius in loquendo commemoramus quam tempus? Et intelligimus utique quum id loquimur; intelligimus etiam quum alio loquente id audimus. Quid eſt ergo tempus? Si nemo ex me quærat, ſcio: ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Quamobrem ſi anteceptam animis hominum Loci informationem ſpectare velimus, (5) quam πρόληψιν vocat Epicurus, nihil erit Loco clarius: contra, ſi philoſophis diſputantibus aures demus, nihil erit eodem obſcurius.

Et primum quidem opinantur homines, Locum eſſe receptaculum corporum, ſive id in quo corpora, tamquam in veſtigio, conſiſtunt: (6) quodcum-

cumque enim alicubi eſt, id ſolum eſſe exiſtimant; quod vero nuſquam eſt, neque eſſe omnino. Hæc autem communis opinio, ſenſuum teſtimonio plurimum innixa eſt. Videmus enim, & ſolida multa corpora fluxis corporibus, & ſolidis fluxa, & ſolida ſolidis contineri ac terminari. Inſulæ, ac piſces, verbi cauſſa, mari, fluminibus, & lacubus undique coërcentur: arbores, homines, & brutæ animantes circumfuſo aëre includuntur: elementa ipſa, planetæ omnes, atque ingentes aſtrorum globi in liquido & immenſo æthere ſiti & collocati ſunt. Rurſum flumina & lacus ripis & alveo, mare litoribus, vinum dolio cohibetur: ſupellex conclavi, conclave domo, domus urbe, urbs agro terminatur & clauditur. Cui ſenſuum perceptioni poſtea nimium obſecuti, longius etiam proceſſere, ut ſcilicet vel (7) nullos mundi fines agnoſcerent, vel finitum illum quidem eſſe, concederent, ſed aliquod Spatium Inane ſibi fingerent, nullis terminis circumſcriptum, quod ipſius mundi Locus eſſet, atque ipſum complecteretur extrinſecus.

Putat deinde vulgus, inveniri aliud Loci genus, quod *intervallum* recte dicere poſſumus: hunc porro Locum æqualem omnino eſſe rei locatæ, ejuſque partes partibus recepti corporis accurate reſpondere. Intervallum hujuſmodi cenſent immobile eſſe oportere, adeoque nulla ratione corrumpi poſſe; tametſi corpora quæ illud deinceps ingrediuntur, & moveantur, & intereant. Profecto enim, ut verbis utar poëtæ Venuſini (in Arte Poëtica verſu 63.)

— *ſive*

> - - - - - - *ſive receptus*
> *Terra Neptunus claſſes Aquilonibus arcet,*
> *Regis opus; ſteriliſve palus prius, aptaque remis*
> *Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum,*
> *Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis*
> *Doctus iter melius,* - - - - - -

hæ omnes mutationes quas Horatius memorat, ad corpora in Loco ſita, non ad Locum ipſum pertinere videntur. neque ſi paludes foras derivatæ ſunt, aut flumen alio verſum, iccirco Locus non eſt idem qui antea fuit. Quare dicimus: (8) *Hic olim currebat flumen, hic ſtagnabant paludes:* nimirum hoc Loco, a quo corpora illa diſceſſerunt, & in quem alia poſtea advenerunt. Atque hæ ſunt Loci notiones quas etiam in animis indoctorum impreſſit ipſa natura.

Philoſophi vero, quorum eſt complicatas hujuſmodi notiones acutis & ingenioſis diſputationibus evolvere, id primum ſumunt, Eſſe in Loco, communem corporum omnium (ſi unum ſupremum cælum excipias, Ariſtotele auctore) proprietatem habendam: quæ vero corpore carent, & ab omni concretione materiæ libera & ſegregata ſunt, ea non eſſe in Loco, neque a Loco contineri, niſi κατὰ συμβεβηκὸς, nimirum *ex accidenti*. Ad quam rerum claſſem pertinent mentes illæ beatæ quibus voluntatis & conſiliorum ſuorum miniſtris Deus Optimus Maximus uti ſolet: item animi hominum, & habitus rationem ac voluntatem humanam perficientes. Quemadmodum enim res hujuſmodi proprie moveri non poſſunt, ſed tamen aliquando moveri dicuntur, ſi cor-

ſi corpora illa moveantur quibus ipſæ præſunt, & quæ perficiunt: ſicuti ſcientia, *ex accidenti* moveri dicitur, ſi homo ſcientia præditus moveatur: eodem pacto & in Loco eſſe dici poſſunt, non per ſe, verum quia præſto ſunt, vel adhærent corpori, quod ipſum proprie in Loco eſt. Fert etiam conſuetudo ſermonis quotidiani, ut metaphora quadam, humanis animis tamquam Loca tribuamus res quibus ii maxime delectantur. Neque hoc injuria; *Locis* enim *corpora continentur, animo autem Locus eſt affectio ſua*, (9) teſte D. Auguſtino Enarratione in Pſalmum 6. num. 9. Hinc amator ille apud Plautum Ciſtellaria (Actu 2. ſc. 1. verſ. 6.)

Ubi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi eſt animus.

Et apud Terentium paraſitus (Eunuchi Actu 4. ſc. 7. verſ. ult.)

-- -- -- -- -- *Jamdudum animus eſt in patinis.*

(10) (11) Neque vero fictis rebus Locus ullus in natura relinquitur, qualia ſunt monſtra illa & portenta quæ poëtæ in otio comminiſcuntur, Centauri puta, Briarei, Scyllæ, Chimæræ, Minotauri, Satyri, Cyclopes, Harpyiæ, ac ſimilia ſexcenta: ſolus enim (12) *poëta, tabulas quum cepit ſibi, Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen.*

Sumunt præterea nonnulli philoſophorum, Loci magnam vim & δύναμιν eſſe; quum corpora univerſa in ſuum quæque Locum magna velocitate deferri, ac poſtquam eo pervenerint, ibi tandem conquieſcere, videamus. Quorum tamen ſententiæ omnino adverſantur qui exiſtimant,

Locum

Locum nihil aliud esse quam vocabulum quoddam, ei ordini ac situi quem corpora inter se obtinent, significando accommodatum: ceterum ipsorum corporum naturam nihil immutans, nec iisdem aliquid addens, aut detrahens. (13) Neque enim si quis me diu insecutus, anteire demum incipiat, ex hac ordinis & situs mutatione quicquam novi adipiscitur, aut aliquid eorum quæ habuerat, amittit: neque si quis e dextro sinister, e sinistro dexter fiat, id hominem sui dissimilem ullo modo facere potest. Ab his porro non longe abeunt qui (14) distantiam nescio quam corporis uniuscujusque a mundi polis immobilibus, & a punctis ortus atque occasus, Locum esse, opinantur: toties autem corpora Loco moveri quoties in eadem distantia non perseverant, sed ad polorum alterutrum, vel ad ortum, aut occasum magis accedunt. quæ puncta immobilia quum reapse nulla sint; (omnes enim mundi corporei partes continuis motibus agitantur) iccirco manifestum est, Loci naturam in alia re potius quam in distantia hujuscemodi ponendam esse. Sed neque concedendum videtur, Locum nihil aliud esse quam vocabulum, aut mentis cogitationem: hoc enim si concedatur, illud ridiculum statim consequetur, corpora quæ dicimus Loco circumscribi, jam in vocabulo, aut mentis cogitatione futura esse.

(15) Obscurissima igitur est Loci natura; quod ingenue fatetur Aristoteles (16) lib. 4. Physicorum, cap. 1. nam quum res unaquæque ope definitionis cognoscatur, definitio autem constet ex gene-

genere ac differentia, difficillimum iccirco est veram Loci definitionem afferre, quoniam de ipsius genere magna inter philosophos contentio est. Nonnullis enim placuit, Locum ad materiam, tamquam ad genus, pertinere: nonnulli formam esse, dixerunt, aut certe aliquod corporum elementum. Inventi etiam sunt qui, (17) Divinam Immensitatem Locum esse, affirmarent. Sed, (18) ut Aristoteli videtur, Locus neque materia est, neque forma, neque corporum elementum, neque caussa, neque, si diis placet, intervallum aut spatium: quam tamen ejus de spatio sententiam falsam esse, doctissimis hominibus persuasum est, ut postea declarabimus.

Ac primum quidem, Locus neque materia est, neque forma locati corporis. tametsi enim Locus proprius, quo nimirum corpus proxime continetur ac terminatur, locati forma esse videatur; eo prorsus modo quo figura, quæ terminat quantitatem, recte dici potest forma quantitatis: quum tamen forma semper conjuncta sit rei cujus est forma, neque ab ipsa ullo modo separari possit, propterea manifestum est, Locum non esse formam. Rursus quamquam Locus videtur quodammodo τὸ ὑποκείμενον, seu materia, rei locatæ dimensionibus definita; (quo pacto Locus in quo est unusquisque nostrûm, videtur esse spatium in quo singuli sumus, & quod singulorum dimensionibus terminatur: materia enim quum per se nullis terminis circumscripta sit, ab alio fines mutuatur) nihilominus materia Locus esse non potest, quoniam scilicet materia componit loca-

tum, Locus non componit. Iiſdem fere argumentis docetur, Locum non eſſe cauſſarum aliquam, neque partem corporum, aut elementum. Sed neque Locus eſt ſpatium aliquod ſive intervallum, ait Ariſtoteles, a corpore ipſo diverſum. Ariſtoteli porro aſſentitur Carteſius. Nam uterque ita exiſtimat; Quodcumque in longitudinem, latitudinem, altitudinem porrigatur, id corpus eſſe: propterea ſpatium, quod tribus hiſce dimenſionibus gaudeat, corpus omnino eſſe. quam ſententiam anno ſuperiore, quum ex hoc ipſo loco de Vacuo ſive Inani verba faceremus, copioſe ſatis refutavimus. Incredibile eſt, quantas hæc Ariſtotelis doctrina in ſcholis Peripateticorum turbas excitaverit; dum ſcilicet aliqui, magiſtri decreta, quamquam rebus manifeſtis adverſantia, omni ope tueri conantur: nonnulli vero, petita prius venia, ab iiſdem in alia omnia diſcedunt.

Quum igitur duplex Locus a philoſophis memoretur, interior, & exterior, horum prior, nempe ſpatium a corpore occupatum, & ab ipſo diverſum, cujus partibus ſingulæ corporis locati partes accurate reſpondeant, propugnatur ab Epicureis, & a Petro Gaſſendo: exteriorem ſolum Ariſtoteles agnoſcit; qui propterea libro 4. Phyſicorum cap. 6. Loci definitionem hanc affert: Τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον, τοῦτ᾽ ἔστιν ὁ τόπος. i. e. *Ejus quod continet, terminus immobilis primus, idipſum eſt Locus.* Quam philoſophi definitionem ſcholæ vulgares Peripateticæ ita latius explicare ſolent: *Locus eſt ſuperficies concava corporis ambientis, quæ aliud corpus proxime complectitur.*

Fa-

Fatetur, ut videtis, Ariſtoteles, Locum magnitudine præditum eſſe, quamvis corpore careat: eſt igitur aliqua magnitudo carens corpore, puta ſuperficies: quum autem corpus conſtare non poſſit ex principiis corpore carentibus, propterea conſtare non poteſt e ſuperficiebus, neque in eas diſſolvi; quod olim perperam (19) a Platone traditum eſt.

Hæc tamen Ariſtotelis definitio (pace loquar tanti magiſtri) non ſolum notionibus quas in animis hominum impreſſit ipſa natura, verum etiam doctrinæ ab eodem philoſopho traditæ in libro Categoriarum capite de Quantitate, adverſari videtur. Ibi enim aperte docuit, corporis partes quæ ad communem terminum conjunguntur, Locum quemdam obtinere: quamobrem & Loci partes, quæ obtinent ſingulas corporis partes, ad eumdem conjungi terminum ad quem & corporis partes. Colligit propterea, Locum eſſe continuum: ea enim continui ratio eſt, ut ad unum communem terminum ejus partes copulentur. Quomodo igitur ait Ariſtoteles lib. 4. Phyſicorum cap. 6. eumdem eſſe Locum partium corporis qui corporis totius, nempe ſuperficiem concavam corporis ambientis? Profecto in Categoriis affirmaverat, ut audiſtis, tot eſſe partes Loci, quot ſint partes corporis, ita ut ſingulæ Loci partes a ſingulis locati corporis partibus occupentur, ac penetrentur. Quæ ſane mira hominis inconſtantia eſt.

Non deerunt fortaſſe qui Ariſtotelem a crimine levitatis ita liberare ſe poſſe, arbitrentur, ſi dixe-

rint, Categorias quæ circumferuntur, falſo ejus philoſophi nomen inſcriptum habere: Archytæ enim potius Tarentino, vel certe Pythagoræorum alicui eſſe tribuendas. cui ſententiæ ſuffragantur, viri doctiſſimi, Franciſcus Patricius (20) in *Diſcuſſionibus* Peripateticis, qui ſcripta omnia, hoc tempore Ariſtoteli tribui ſolita, ſuppoſita illi fuiſſe, ſuſpicatur, præter Mechanica, & libellum de Zenone, Xenophane, & Gorgia: (21) Felix Accorombonius, a quo animadverſum eſt, plura in Categoriis contineri quæ a doctrina Metaphyſicorum Ariſtotelis librorum omnino diſſentiant: Ludovicus Vives (22) libro 3. de Cauſſis corruptarum artium: & alii nonnulli. Hanc tamen opinionem improbant Ammonius Hermeæ, vetus idemque graviſſimus Categoriarum Interpres, Boëthius Severinus, Gerardus Joannes Voſſius in libro de Natura Logicæ capite 10. & communis præterea conſenſus eruditorum.

Sed quidquid tandem hac de re exiſtimandum ſit, illud profecto verum eſt, traditam ab Ariſtotele Loci definitionem naturali προλήψει quam omnes homines de Loco habemus, minus accommodari poſſe. Quum enim, ut paullo ante oſtendebamus, Locus corpori locato æqualis eſſe debeat, profecto ſuperficies concava corporis ambientis non erit corpori locato æqualis, verum ipſo major. nam omne quod continet, majus eſt eo quod continetur. Equidem non diſſimulaverim, docere Ariſtotelem libro 4. Phyſicorum capite 6. ſuperficiem concavam corporis ambientis ita examuſſim aptari ad ſuperficiem convexam

cor-

corporis locati, (23) ut ambæ unum quodammodo fiant: & icciirco neutram earum majorem aut minorem esse alia. Sed præterquamquod hujusmodi doctrina omnem Loci rationem confundit, illud etiam sequitur absurdum; Locum non amplius futurum corporum receptaculum. Nam si extrema diversorum corporum fiant unum, mundus totus erit unum continuum: siquidem, ut ipsemet Aristoteles docet lib. 5. Physicorum capite 5. continuum tunc exsistit quum extrema diversarum partium in unum coaluerint, atque adeo partes illæ uno communi termino cœperint contineri. Sunt autem corpora quælibet universi partes. Quod si universum fiat unum continuum, Locus de rebus omnino tolletur; idque doctrinæ Aristotelis convenienter. Neque enim, (24) si Aristotelem audimus, totum universum est in Loco, quum extra illud nullum sit corpus a quo ipsum ambiatur: neque corpora mundum componentia erunt in aliis corporibus tamquam locata in Loco, sed tamquam partes in toto: quod non facile concessurus est Aristoteles.

Illud etiam ab eo qui accurate philosophari velit, considerandum est; nisi sit Locus interior, sive spatium a corpore occupatum, corpori æquale, & ab ipso diversum, partes locati corporis non amplius in Loco futuras: quoniam scilicet partes corporis quæ sunt intra superficiem ipsius, non tanguntur a superficie corporis continentis, quæ sola est Locus Aristoteli. Quis autem dixerit, partes corporis in Loco non esse? Profecto, quemadmodum toti corpori respondet

integer Locus, ita etiam partibus corpus componentibus Loci partes exacte respondere oportet: neque omnino corpus illud in Loco esse poterit cujus partes in Loco non fuerint.

Præterea, Loco interiore e rerum natura sublato, non liceret philosophis ponere, lapidem, aut quodlibet aliud corpus, moveri per Inane Spatium, puta per immensas illas regiones quas ultra cæli ambitum quivis cogitatione sibi fingere solet. Nam quum moveri nihil aliud sit quam alia atque alia deinceps Loca occupare, sive Locum mutare: quod, si in Aristotelea Loci definitione acquiescimus, non fit nisi a vicinia quorumdam corporum recedendo, & aliis quibusdam appropinquando: certe, ubi nulla essent corpora præter illud quod moveri fingimus, nullus etiam esset hujusmodi accessus aut recessus, & nullus proinde motus. Philosophi nihilominus (25) recte sibi fingunt, moveri lapidem in spatiis illis omni corpore destitutis; tantum enim abest ut lapis ille per Inane moveri non deberet, ut potius eum, postquam semel moveri cœpisset, semper continuare motum necesse esset; quippe ubi nihil occurreret quod ipsi objectum, ejus motum impedire, aut ulla ratione retardare posset. Quamobrem, hoc etiam argumento satis constat, Loco interiore in rerum natura omnino opus esse.

Deinde quum omnes cogitatione concipiamus Locum tamquam immobilem, quomodo Locus exterior, quem solum agnoscit philosophus noster, immobilis esse potest? Nonne omne corpus quod ambitu & sinu suo aliud corpus complectitur,

tur, mobile eſt? nonne ſæpius ultro citroque movetur? Sed neque hujuſmodi Locus corruptionis expers erit; quum omnium corporum ea conditio ſit, ut mutentur atque intereant: corruptio enim ſequitur mobilitatem: corporibus autem corruptis, Locus ipſe permanere debet. Quid quod Ariſtoteles gladio ſuo ipſe ſe confodit, dum ait, intereſſe plurimum, contineatúrne corpus tamquam in vaſe, an vero tamquam in Loco? vas enim eſſe quodammodo Locum mobilem, Locum eſſe quodammodo vas immobile. At ſi Locus fuerit ſuperficies corporis, ea profecto movebitur, non per ſe quidem, ſed ſaltem ad ipſius corporis motum.

Poſtremo, niſi ponamus Locum interiorem, qui ſit ſpatium a corpore occupatum, & relinquatur ſolum Locus exterior, nempe ſuperficies concava corporis aliud corpus proxime ambientis, illud παράδοξον neceſſario conſequetur; turrim ſcilicet, quam commune hominum judicium immobilem exiſtimat, plus moveri quam cymbam ſecundo flumine vectam; quam tamen omnes moveri putant: propterea quod aër qui turrim proxime ambit, aſſidue agitetur a ventis, & ideo a turri ſæpius recedat, novo ſubinde adveniente: cymba vero in flumine iiſdem ſemper aquæ partibus cum ea defluentibus contineatur. Si enim moveri nihil aliud eſt quam Locum mutare, Locus autem nihil eſt aliud quam ſuperficies concava corporis proxime ambientis, ut Ariſtoteli placet; diſcedente corpore mutatur ſuperficies, mutata vero ſuperficie mutatur Locus; &

iccirco turris movetur, cymba non movetur.

Id incommodum Cartesiani facile admodum se declinare posse, confidunt. dicunt scilicet, eam superficiem quæ sit Locus, physice quidem esse mobilem, at mathematice immobilem. hoc autem Locum a mobilitate satis vindicare: nam quamquam superficies mutatur, (26) in ejus tamen locum alia succedit, eadem omnino magnitudine. Quod, meo judicio, idem est ac si dicerent, Locum reapse mobilem esse; precario autem, utque Aristotelis & Cartesii placitis consulatur, immobilem.

Rectius igitur (27) Julius Cæsar Scaliger Exercitatione 5. de Subtilitate ad Hieronymum Cardanum, Joannes Baptista Hamelius Metaphysicæ Tractatu 1. disputatione 3. quæstione 6. & Joannes Keillius in Introductione ad veram Physicam Lectione 6. præter Locum exteriorem ab Aristotele definitum, agnoscunt etiam διάστημα, sive spatium a corpore occupatum, quod sit Locus ipsius interior. Quo posito, tolluntur difficultates, & sua Loco immobilitas constat.

Keillius præ ceteris docet, Locum, quemadmodum & spatium, duplicem esse, absolutum, & relativum. Locus absolutus huic philosopho est ea spatii immobilis, permanentis, & undique diffusi pars quæ a corpore locato occupatur: Locus relativus est ille qui sub sensum cadit, petiturque ac definitur a vicinitate, distantia, ordine, ac situ aliorum corporum circumstantium. Locus absolutus moto corpore permanet immotus: Locus relativus cum ipsis corporibus diver-

sas

ſas Loci abſoluti regiones ac partes pervagatur; quod facile intelligi poteſt ex hypotheſi terræ motæ; in qua ſcilicet majora corpora quæ tellure continentur, eumdem Locum relativum ſemper obtinent, Loco abſoluto deinceps mutato, & in ſua ſede relicto.

Neque eſt cur nonnulli contendant, ſpatium immobile nullas partes habere poſſe, quoniam in partes dividi nequit: Keillius enim exiſtimat, ut Locus recte dicatur partes habere, ſatis eſſe ſi eæ notari, atque deſcribi, & partibus locati corporis exacte reſpondere queant. Quod autem Ariſtoteles ait, (28) ſi ſpatium ſit Locus, infinita Loca futura, id facile concedimus, neque tamen ullo modo abſurdum exiſtimamus. Profecto enim Loca ſunt infinita: nimirum Loci partes ſemper decreſcentes, & (29) infinitis corporum partibus ſemper decreſcentibus, minoribus videlicet atque minoribus, reſpondentes, nullo certo ac definito numero comprehendi poſſunt.

Si qui porro ſint quibus non facile perſuadeatur, Locum eſſe quiddam a corpore diverſum, quod nimirum in omni Loco corpus aliquod locatum eſt, nec Locus a corpore ſeparari poſſe videtur; eos monemus ut rem hanc totam diligentius conſiderare, deque illa maturius judicium ferre velint. Quemadmodum enim a philoſopho materia ſine forma concipi poteſt, immo debet [(30) ſaltem λογισμῷ νόθῳ, ut loquitur Timæus Locrus in Dialogo de Anima Mundi, & eum ſecutus Plato] ut materiæ natura melius intelligatur, tametſi materia ſemper aliqua forma veſtita

ſtita & ornata ſit; eodem pacto Locus ſine corpore concipi poteſt, quamvis id omnino concedendum eſſet, nullum inveniri Locum corpore vacuum. Poſſunt enim duæ res ita inter ſe conjunctæ eſſe, ut nullo modo ſeparari poſſint, & nihilominus diverſam habere naturam, ut una non ſit alia; diverſamque ſui notionem in mentibus hominum excitare: quod pluribus exemplis oſtenderem ſi operæ pretium me facturum putarem.

Finem dicendi faciam, poſtquam illud teſtatus fuero, me in obſcuriſſimam hanc de Loco quæſtionem ingenii aciem acrius intendentem, eam tandem opinionem ſequi, Locum exteriorem, quem ſolum Peripatetici Loci nomine dignantur, Locum proprie non eſſe, ſed quemadmodum corporis, ita & veri Loci terminum. Suum tamen cuique judicium eſto. Habetis, adoleſcentes optimi, quid de Loco ſentiendum exiſtimem: craſtino die, ſi frequentes aderitis, explicationem primi capitis primi libri Ariſtotelis de Cælo a me accipietis.



AN-

ANNOTATIONES
IN SUPERIOREM
ORATIONEM.

(1) *Locus est communis rerum omnium*] Aristotelis afferam verba, ex Physicorum lib. 4. cap. 7. Τὰ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς, (ἐστὶν ἐν τόπῳ) οἷον ἡ ψυχὴ, καὶ ὁ οὐρανός· τὰ γὰρ μόρια ἐν τόπῳ πως πάντα· ἐπὶ τῷ κύκλῳ γὰρ περιέχει ἄλλο ἄλλο. διὸ κινεῖται μὲν κύκλῳ μόνον τὸ ἄνω· τὸ δὲ πᾶν, οὔ πού· τὸ γάρ που αὐτό τε ἐστί τι, καὶ ἔτι ἄλλό τι δεῖ εἶναι παρὰ τοῦτο ἐν ᾧ ὃ περιέχει. παρὰ δὲ τὸ πᾶν καὶ ὅλον, οὐδὲν ἐστὶν ἔξωθεν τοῦ παντός. Καὶ διὰ τοῦτο ἐν τῷ οὐρανῷ πάντα. ὁ γὰρ οὐρανὸς, τὸ πᾶν ἴσως. ἔστι δὲ ὁ τόπος οὐχ ὁ οὐρανὸς, ἀλλὰ τοῦ οὐρανοῦ τι τὸ ἔσχατον, καὶ ἁπτόμενον τοῦ κινητοῦ σώματος πέρας ἠρεμοῦν. Καὶ διὰ τοῦτο, ἡ μὲν γῆ, ἐν τῷ ὕδατι, τοῦτο δ' ἐν τῷ ἀέρι, οὗτος δ' ἐν τῷ αἰθέρι, ὁ δ' αἰθὴρ ἐν τῷ οὐρανῷ. ὁ δ' οὐρανὸς οὐκ ἔτι ἐν ἄλλῳ. id est: *Alia vero* sunt in loco *ex accidenti: ut anima, & cælum. nam omnes partes* sunt *quodammodo in loco: quoniam in circulo alia* pars *aliam continet. iccirco superum corpus tantum in orbem movetur. universum autem non* est *alicubi: quod enim* est *alicubi, & ipsum est aliquid, & insuper oportet præter hoc esse aliud quidpiam, in quo* sit, seu *quod ipsum contineat: sed præter universum ac totum, nihil est* quod scilicet sit *extra universum. Proinde in cælo omnia sunt: nam cælum fortasse* est *universum. Locus autem est, non cælum, sed cæli quoddam extremum ac terminus quiescens, qui tangit corpus mobile. Ideoque terra* est *in aqua: hæc vero in aëre: hic autem in æthere: æther autem in cælo. sed cælum non est amplius in alio.* Porro, quod ait Aristoteles,

ὁ γὰρ

ὁ γὰρ ὐρανὸς τὸ πᾶν ἴσως, nam cælum fortaſſe univerſum eſt, attentius a nobis conſiderari oportet. Videtur enim philoſophus decretum illud ſuum in dubium vocare quod tamquam certum & exploratum ponit in libris de Cælo, ubi cælum, ſive mundum, unum tantum eſſe, & omnia complecti, docet, neque extra ipſius fines aut corpus ullum, aut Locum inveniri. Hic autem, particula *fortaſſe* uſus, Democriti ſententiam de univerſo non omnino futilem & commentitiam ſibi videri, non obſcure oſtendit: *τὸ πᾶν* enim, ſive univerſum, quod Lucretius *omne*, *rerum ſummam*, & *ſummam ſummarum* appellat, Democrito, eumque ſecuto Epicuro non eſt mundus hic a quo proxime continemur, verum ſpatium infinitum extra hunc orbem, in quo mundos innumerabiles ex fortuito atomorum concurſu aſſidue fieri, uterque contendit. Huic Ariſtotelis dubitationi libenter acquievit Carteſius, qui ſcilicet neque finitum mundum, neque infinitum pronuntiare auſus, eum per *indefinita* porrigi ſpatia, affirmavit; quod idem eſt ac ſi dixiſſet cum Ariſtotele, dubitari poſſe, utrum cælum hoc quod videmus, ſit univerſum; an potius rerum ſumma eo uſque diffundatur quo ſenſuum & cogitationum noſtrarum infirmitas pervenire non poſſit. Quem Ariſtotelis & Carteſii conſenſum ii minus mirantur qui noverunt, non tam ovum ovo ſimile eſſe, quam pleraque Carteſianæ philoſophiæ capita veterum Peripateticorum decretis; non ut ea quidem barbaries Arabum, & ſcholaſticorum hominum quiſquiliæ fœde inquinaverunt, ſed ut olim a Græcis interpretibus caſte ac magna cum fide explicata ſunt.

(2) *brevem lucis uſuram ſortiti ſumus*] M. Tullius libro I. Tuſcul. Quæſtion. *At ea quidem* (natura) *dedit uſuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præſtituta die*. Lucretius lib. 3. v. 984.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.

(3) *de-*

(3) *decedamus*] Horatius Epist. 2. lib. 2. v. 213.

Vivere si recte nescis, decede peritis:
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti:
Tempus abire tibi est — — — — — —

(4) *vitæ lampadem, tamquam decurso spatio, post nos victuris per manus tradamus*] Lucretius lib. 2. v. 74.

— — — — sic rerum summa novatur
Semper, & inter se mortales mutua vivunt.
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum;
Et, quasi cursores, vitaï lampada tradunt.

Sumsit hoc Lucretius a ludis quos Athenienses ἀγῶνας λαμπαδέχους appellabant: in quibus cursores lampadem, seu facem, manu tenebant, & cursu confecto, iis qui deinceps cursuri erant, eam tradebant. significabat autem hic ludus vitæ humanæ brevitatem. Vide Platonem dialogo 6. de Legibus tomo 2. pag. 776. B.

(5) *quam* πρόληψιν *vocat Epicurus*] Vellejus Epicureus apud Ciceronem lib. 1. de Natura Deorum: *Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum? quam appellat* πρόληψιν *Epicurus, id est anteceptam animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari possit. cujus rationis vim atque utilitatem ex illo cælesti Epicuri de regula & judicio, volumine accepimus.*

(6) *quodcumque enim alicubi est, id solum esse existimant*] Vulgaris hujus opinionis testis locuples Aristoteles lib. 4. Physicorum cap. 1. τά τε γὰρ ὄντα, inquit, πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναί που, τὸ γὰρ μὴ ὂν οὐδαμοῦ εἶναι. *Ea enim quæ sunt, omnes opinantur alicubi*

licubi esse; quod vero non est, nusquam esse. Id porro ante Aristotelem animadverterat Plato in Timæo his verbis: *Φαμὲν τὸ ὂν ἅπαν ἐν τινὶ τόπῳ, καὶ κατέχον χώραν τινά· τὸ δὲ μήτε ἐν γῇ, μήτε που κατ' οὐρανὸν, οὐδὲν εἶναι.* i. e. *Dicimus, id omne quod est, in Loco esse aliquo, & regionem aliquam tenere: quod vero neque in terra, neque usquam in cælo est, nihil esse.* Cum Aristotele ac Platone concinit D. Augustinus Epist. 187. num. 18. ita scribens: *Spatia Locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt.* Item D. Gregorius Nazianzenus Oratione 34. *Εἰ γὰρ,* inquit, *τὸ μὴ ὂν, οὐδαμοῦ, τὸ μηδαμοῦ, τυχὸν οὐδὲ ὄν. Nam si id quod non est, nusquam est; id quoque quod nusquam est, ne est quidem fortasse.* Cicero pariter Quæstione prima Tusculana, loquens de hominibus vita functis: *Ubi ergo sunt ii quos miseros dicis? aut quem Locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse non possunt. Ego vero nusquam esse illos puto. igitur ne esse quidem.*

(7) *nullos mundi fines agnoscerent*] Id quod Lucretius facit lib. 1. de Rerum Natura v. 997. hoc eodem vulgi argumento usus:

Postremo ante oculos rem res finire videtur,
Aër dissæpit colles, atque aëra montes:
Terra mare, & contra mare terras terminat omnes.
Omne quidem vero nihil est quod finiat extra.
-- -- -- -- -- -- -- -- -- --
Usque adeo passim patet ingens copia rebus
Finibus exemtis in cunctas undique partes.
Ipsa modum porro sibi rerum summa parare
Ne possit, natura tenet: quia corpus inani,
Et quod inane autem est, finiri corpore cogit:
Ut sic alternis infinita omnia reddat.

Vide Petrum Gassendum Physicæ Sectione 1. libro 2. capite 2. *De Inani spatio, ac primo, quod vocant sepa-*

separatum, extraque mundum: qui scriptor insignem locum Cleomedis affert huc spectantem.

(8) *Hic olim currebat flumen, hic stagnabant paludes*] Ad has rerum locatarum, non Loci mutationes pertinent illa Propertii Elegia 1. lib. 4. v. 1.

Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Ænean collis & herba fuit.

nec non illa Tibulli Elegia 5. lib. 2. v. 57.

Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas
Dum licet: hic magnæ jam Locus urbis erit.

denique illa Ovidii Fastorum lib. 2. v. 280.

Hic, ubi nunc Urbs est, tum Locus Urbis erat.

Cum quibus concinunt verba Aristotelis lib. 4. Physicorum cap. 2. Ἐν ᾧ γὰρ ἀὴρ ἐςι νῦν, ὕδωρ ἐν τούτῳ πρότερον ἦν. ὥςε δῆλον, ὡς ἦν ὁ τόπος τὶ καὶ ἡ χώρα ἕτερον ἀμφοῖν, εἰς ἣν, καὶ ἐξ ἧς μετέβαλλον. i. e. *Nam in quo Loco nunc est aër, antea in eo aqua erat. quare manifestum est, Locum & receptaculum esse quiddam ab utrisque diversum, in quod, & ex quo sunt mutata.*

(9) *teste D. Augustino*] Qui hanc sententiam copiosius explicat Enarratione in Psalmum 9. num. 15. *Pes animæ,* inquit, *recte intelligitur amor -- -- -- -- amore enim movetur tamquam ad Locum, quo tendit. Locus autem animæ non in spatio aliquo est, quod forma occupat corporis; sed in delectatione, quo se pervenisse per amorem lætatur.* D. autem Basilius Magnus in Homilia ad illud: *Attende tibi ipsi,* explicat alia ratione, quomodo anima sit in Loco. Οὐδὲ, inquit, ὁ σὸς νοῦς προηγουμένως ἔχει τὴν ἐν τόπῳ διατριβὴν· ἀλλὰ διὰ τῆς πρὸς τὸ σῶμα συναφείας ἐν τόπῳ γίνεται. i. e. *Ne tua mens quidem primario ac per se in Loco moratur: sed propter conjunctionem cum corpore, in Loco est.*

(10) Eo-

(10) Eodem pacto loquitur Polynices apud Euripidem in Phœniſſis verſu 361.

-- -- -- -- -- -- ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
πατρίδος ἐρᾷν ἅπαντας· ὃς δ' ἄλλως λέγει,
λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει.
-- -- -- -- -- -- -- *ſed neceſſe eſt*
Omnes amare patriam: qui vero aliter dicit,
Verbis delectatur, mentem vero illic habet.

Theocritus Idyllio 7. v. 43. Ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰέν. *Impiæ vero mulieris animus ſemper eſt apud virum alienum.*

(11) *Neque vero fictis rebus Locus ullus in natura relinquitur*] Ariſtoteles lib. 4. Phyſicorum cap. 1. Ποῦ γάρ ἐστι τραγέλαφος, ἢ σφίγξ; *Ubi enim eſt hircocervus, aut ſphinx?* De hircocervo tamen, ſeu tragelapho, vide quæ ipſi animadvertimus ad Zachariæ Scholaſtici Dialogum contra Mundi æternitatem, Annotatione 60. Conſule etiam Petrum Gaſſendum Phyſicæ Sectione 3. membro poſteriore, libro 1. capite 2. quod eſt *De Animalibus quadrupedibus, ſolidipedis, & biſulcis.* Errorem credentium eſſe in rerum natura Satyros notat Iſaacus Caſaubonus lib. 1. de Satyrica Græcorum Poëſi, pag. 46. & ſeqq.

(12) *poëta, tabulas quum cepit ſibi*] Plautus Pſeudolo Actu 1. ſc. 4. v. 8.

(13) *Neque enim ſi quis me diu inſecutus* &c.] Placet nimirum his philoſophis, Locum & Situm eſſe *prædicationem relativam*, ut verbis utar Boëthii Severini ex libello de Trinitate capite 5. ubi hæc legere eſt, allatum a nobis exemplum valde illuſtrantia: *Non igitur dici poteſt, prædicationem relativam quicquam rei de qua dicitur, ſecundum ſe vel*

adde-

addere, vel mutare. quæ tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere: nec semper ad aliud, sed aliquoties ad idem. Age enim, stet quisquam. ei igitur si accedam dexter, erit ille sinister ad me comparatus; non quod ille ipse sinister sit, sed quod ego dexter accesserim. rursus ego sinister accedo, item fit ille dexter; non quod ita sit per se dexter, velut albus ac longus, sed quod me accedente fit dexter, atque id quod est, a me & ex me est, minime vero ex se se. Quare quæ secundum rei alicujus, in eo quod ipsa est, proprietatem, non faciunt prædicationem, nihil alterare vel mutare queunt, nullamque omnino variare essentiam.

(14) *distantiam .... a mundi polis immobilibus*] Vide Silvestrum Maurum in Paraphrasi ad caput 5. libri 4. Physicorum Aristotelis num. 9. textu 41.

(15) *Obscurissima igitur est Loci natura*] Hujusmodi obscuritas non solum a re ipsa, verum etiam a præjudicatis multorum philosophorum opinionibus originem ducere videtur; qui nimirum id omne quod sit, aut Substantiam, aut Accidens esse, arbitrantur: omnem porro Substantiam vel corpoream, vel corpore carentem: Locum autem ac Tempus Accidentia esse corporea, docent. quum tamen, Locum non esse Accidens, ex eo saltem Accidentium genere quæ Substantiæ, tamquam rei subjectæ, adhærent, hoc argumento facile ostendi possit: Accidens enim est in Substantia ipsa, quæ solum quasi ac fundamentum est Accidentis. Dicimus autem de Substantia, eam esse in Loco. si igitur Locus sit Accidens, non amplius Accidens erit in Substantia, sed potius Substantia in Accidenti: quod absurdum est. Ceterum, Petrus Gassendus Loci naturam, meo quidem judicio, & omnium accuratissime investigavit, & feliciter deprehendit,

& a naturis reliquarum rerum ſeparavit. Phyſicæ enim Sectione 1. libro 2. capite 1. docet: *Locum & Tempus incorporea quædam eſſe genere diverſa ab iis quæ Subſtantiæ dici, aut Accidentia ſolent. Unde & effici, Ens generaliſſime acceptum, non adæquate dividi in Subſtantiam, & Accidens, ſed adjici diviſioni Locum & Tempus debere ut duo quædam membra: veluti ſi quis dicat: Omne Ens aut eſſe Subſtantiam, aut Accidens, aut Locum in quo omnes Subſtantiæ, & omnia Accidentia ſint, aut Tempus quo omnes Subſtantiæ, aut omnia Accidentia durent.* Putat propterea Gaſſendus, *Locum eſſe quantitatem extenſionemve quamdam, ſpatium nempe ſeu intervallum, triplici dimenſione longitudinis, latitudinis, & profunditatis conſtans, in quo corpus recipi, aut per quod tranſire corpus poſſibile ſit: at ſimul ejus dimenſiones eſſe incorporeas, atque adeo Locum eſſe intervallum, ſpatiumve incorporeum, ſeu incorpoream quantitatem.* Quo ſpectant illa Nemeſii, Chriſtiani philoſophi, ex libro eleganti de natura Hominis, ab eodem Gaſſendo allata: Πᾶν μὲν σῶμα τριχῆ διαστατὸν, οὐ πᾶν δὲ τριχῆ διαστατὸν, σῶμα. Καὶ γὰρ ὁ τόπος, καὶ τὸ ποιὸν, ἀσώματα ὄντα· i. e. *Omne quidem corpus triplici dimenſione præditum eſt: at quicquid triplici dimenſione præditum eſt, non eſt corpus. Ejuſcemodi enim ſunt Locus, & Qualitas, entia incorporea.*

(16) *lib. 4. Phyſicorum cap. 1.*] Philoſophi verba ſunt: Ἔχει δὲ πολλὰς ἀπορίας, τί ποτέ ἐστιν ὁ τόπος· οὐ γὰρ ταυτὸν φαίνεται θεωροῦσιν ἐξ ἁπάντων τῶν ὑπαρχόντων. Ἔτι δ᾽ οὐδ᾽ ἔχομεν οὐδὲν παρὰ τῶν ἄλλων, οὔτε προηπορημένον, οὔτε προηυπορημένον περὶ αὐτοῦ. i. e. *Exſiſtunt autem multæ dubitationes, quid tandem ſit Locus. non enim idem videtur diſpicientibus, ex iis omnibus quæ inſunt. Præterea nihil habemus ab aliis de eo ante vel dubitatum vel expoſitum.*

(17) *Divinam Immenſitatem Locum eſſe, affirmarent*]

rent] Arnobius libro 1. contra Gentes *Locum rerum ac ſpatium* appellat Deum, *& fundamentum cunctorum quæcumque ſunt*. Marius item Victor, poëta Chriſtianus, in Præfatione ita Deum alloquitur:

Tu ſpatium rerum, mentis quocumque receſſus
Tenditur, excedis, ſpatio neque cingeris ullo.

Ut alios plures omittamus. Quomodo id recte intelligi poſſit, diſquirit doctiſſimus Petavius tomo primo Dogmatum Theologicorum, libro 3. *de Deo Deique proprietatibus* cap. 9. num. 10. Ceterum, utrum Locus & ſpatium a Deo creatum fuerit, nec ne, conſiderat Petrus Gaſſendus Phyſicæ Sectione 1. libro 2. capite 1. prope finem.

(18) *ut Ariſtoteli videtur*] Libro 4. τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως cap. 4.

(19) *a Platone traditum eſt*] Plato in eo Dialogo pulcherrimo quem Timæum inſcripſit a Timæo Locro philoſopho Pythagoræo, cujus primæ ſunt in diſputando partes, docuit, elementa omnia componi e ſuperficiebus rectangulis, adeoque diſſolvi in ſuperficies rectangulas: ſuperficies porro rectangulas abire in triangula rectangula. Et quoniam triangulum rectangulum, ſive ὀρθογώνιον, duplex eſt; aliud nimirum ἰσοσκελὲς, ſeu paribus cruribus conſtans, quod habet unum angulum rectum, & alios duos inter ſe æquales recto minores, ſive acutos; aliud σκαληνὸν, quod habet unum angulum rectum, & duos angulos acutos inæquales; ideo Plato dixit, terram primo componi, ac poſtremo diſſolvi in triangula rectangula ἰσοσκελῆ, alia vero elementa primo componi, ac poſtremo diſſolvi in triangula rectangula σκαληνά. Cujus Platonicæ opinionis αὐτονομίαν, ut ita loquar, ſolidis argumentis refutat Ariſtoteles lib. 3. de Cælo cap. 7.

(20) *in* Diſcuſſionibus *Peripateticis*] Tom. 1. pag. 21.

(21) *Felix Accorombonius*] Apud Johannem Albertum Fabricium Bibliothecæ Græcæ libro 3. capite 6.

(22) *libro 3. de Cauſſis corruptarum artium*] Pagina 99.

(23) *ut ambæ unum quodammodo fiant*] Verba philoſophi ad hanc doctrinam pertinentia ſunt ea quæ ſequuntur: Ὅταν δὲ διῃρημένον ᾖ καὶ ἁπτόμενον, ἐν πρώτῳ ἐστί τινι τῷ ἐσχάτῳ τοῦ περιέχοντος, ὃ οὔτ᾽ ἐστὶ μέρος τοῦ ἐν αὐτῷ ὄντος, οὔτε μεῖζον τοῦ διαστήματος, ἀλλ᾽ ἴσον· ἘΝ ΓẺΡ ΤΩ͂Ι ΑΥΤΩ͂Ι ΤẺ ἘΣΧΑΤΑ ΤΩ͂Ν ἉΠΤΟΜΈΝΩΝ. *Quum autem eſt diviſum, ac tangit* (loquitur Ariſtoteles de corpore alicubi locato) tunc *eſt in aliquo primo, quod eſt extremum continentis, & neque eſt pars ejus quod in ipſo eſt, neque majus intervallo, ſed æquale:* QUONIAM IN EODEM SUNT EXTREMA EORUM QUÆ SE TANGUNT. Sed ſi hoc Ariſtoteli damus, ſuperficies nimirum duorum corporum, quorum alterum ab altero omni ex parte contingitur, in eodem Loco eſſe; quum ſuperficies ſit Locus, id abſurdum ſtatim conſequetur, Locum in Loco futurum.

(24) *ſi Ariſtotelem audimus*] Libro 1. de Cælo capite 10. in vulgaribus codicibus. Philoſophus tamen ſecum ipſe pugnare videtur. Docet enim libro 2. ejuſdem operis cap. 5. cælum ultimum velociſſime moveri. Quid eſt autem aliud moveri niſi Loca mutare, ſive de alio in alium migrare Locum? Si cælum igitur non eſt in Loco, profecto moveri non poteſt. Quod enim in Loco non eſt, non poteſt mutare Locum, aut in alium Locum migrare. Deinde, idem Ariſtoteles huic ſententiæ contrariam omnino concluſionem ponit libro 4. τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως capite 6. Διὰ γὰρ, inquit, τοῦτο καὶ τὸν οὐρανὸν μάλιστα οἰόμεθα ἐν τόπῳ, ὅτι αἰεὶ ἐν κινήσει. *Iccirco & cælum maxime putamus* eſſe *in Loco, quia ſemper*

eſt

est *in motu*. Flagitiosam hanc doctrinæ inconstantiam satis in tanto philosopho mirari nequeas; nisi forte eo confugias, ut dicas, vocem illam οἰόμεθα, *putamus*, de vulgarium hominum opinione, non de ipsius Aristotelis decreto, accipiendam atque intelligendam esse.

(25) *recte sibi fingunt*] Vide Petrum Gassendum Physicæ Sectione 1. libro 5. capite 4. quod est *De motu rerum projectarum*.

(26) *in ejus tamen locum alia succedit, eâdem omnino magnitudine*] Digna sunt profecto quæ hic legantur verba Julii Cæsaris Scaligeri, doctissimi hominis, & quantum illa ferebant tempora, in philosophiæ studiis maximopere exercitati. Sic igitur ille scribit Exercitatione 5. de Subtilitate ad Hieronymum Cardanum, num. 3. *Quinetiam ex his ipsis judicatur, quam recte senserint nostri* (nimirum Peripatetici) *de Loci immobilitate. Quum enim diceretur hoc ab antiquis, hunc quoque affectum esse Loci, scilicet immobilitatem: tum isti corporis ambientis superficiem moveri viderent: multa commenti sunt. Aëre namque moto circumfusam corpori superficiem aliam atque aliam subinde evenire necesse est. Ajunt igitur: Licet ratio aëris, & aquæ sit alia succedens a præcedente, tamen est eadem præcedenti per æquivalentiam. Quam plene hæc expediant dubitationem, vides. Nostra ergo definitione solvuntur omnia. Illud enim spatium numquam movetur. Siquidem corpus ipsum in suo spatio, ac sane eodem numero, semper est.*

(27) *Julius Cæsar Scaliger*] Cujus hæc sunt, ad rem qua de agimus pertinentia: *Non est igitur Locus, exterioris corporis ambiens superficies: sed id quod intra eam superficiem continetur. Est autem quodammodo ens, & quodammodo non ens. Est enim non ens, quia ens continetur ibi: & est ens, quia est aliquid alicujus: nempe cavum intra corpus. Quod autem Lo-*

cus non ſit ſuperficies corporis exterioris, acutius intuenti patet. Sic enim, duobus in Locis unum corpus eſſet. Namque ſuperior Lunæ ſuperficies eſſet Mercurii Locus: & alter ejuſdem Locus eſſet, interior Veneris ſuperficies. Hinc etiam ſequitur tot argumentorum facilis ac perſpicua ſolutio. Manifeſtum enim eſt, quemadmodum primum cælum eſt in Loco. Et ſane in ſuo ſpatio, quod occupat. Ut ſit hæc Loci vera definitio, non per ſuperficiem. Qua ex contemplatione magnopere erit philoſopho laborandum, quibus dicendi modis ſtatuere poterit aliquid eſſe in Loco, &c.

(28) *ſi ſpatium ſit Locus, infinita Loca futura*] Εἰ δ' ἦν τι τὸ διάστημα τὸ πεφυκὸς, καὶ μένον ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ, ἄπειροι ἂν ἦσαν τόποι. *Ceterum ſi intervallum eſſet aliquid quod ſua natura eſſet, ac maneret eodem in Loco, infinita eſſent Loca.* Verba ſunt Ariſtotelis τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως libro 4. capite 6.

(29) *infinitis corporum partibus ſemper decreſcentibus, minoribus videlicet atque minoribus*] Verbum *decreſcere* tribuitur interdum a ſcriptoribus Latinis etiam rebus quæ tametſi neque augeantur, neque minuantur, cum aliis tamen rebus ejuſdem generis comparatæ, illis majores aut minores deprehenduntur. Satis mihi fuerit afferre inſigne Tibulli exemplum ex Elegia 5. lib. 2. v. 31.

Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo,
Nam calamus cera jungitur uſque minor.

(30) *ſaltem* λογισμῷ νόθῳ] Vide Annotationem noſtram 58. ad Dialogum Zachariæ Scholaſtici adverſus Mundi æternitatem, quem Dialogum de Græco in Etruſcum ſermonem ipſi vertimus.

JO.

JO. ANTONII
VULPII
DISSERTATIO
IN
LUCRETIUM.



DISSERTATIO IN LUCRETIUM.

Viro Doctiſſimo Clariſſimoque

JOANNI GRATIANO

In Gymnaſio Patav. Philoſoph. Profeſs. Prim.

JO. ANTONIUS VULPIUS S. P. D.



UUM T. LUCRETII CARI, poëtæ nobiliſſimi, ejuſdemque philoſophi acutiſſimi, Libros DE RERUM NATURA, ad optimarum editionum veritatem diligenter exactos, meoque ſumtu typis excuſos, in publico proponere ſtatuiſſem; quod videlicet bonorum exemplarium pænuria ſtudioſos juvenes jamdiu laborare intelligerem; prorſus autem neceſſarium mihi videretur, de utilitate ex tam egregio ſcriptore capienda, quidve in ejus lectione caveri, quid contra ſeligi ediſcique oporteret,

ret, paucis exponere; tu ſtatim animo occurriſti, Joannes Gratiane, noſtri temporis philoſophorum eloquentiſſime, ad quem potiſſimum, tamquam ad judicem harum rerum maxime peritum, orationem meam omnem diſputationemque converterem. Dolueram enim ſæpiſſime, has quæ libris præponuntur, & auctoris conſilium, ſuſceptique operis rationem declarant, ſive Epiſtolas, ſive, ut multis appellare libet, Præfationes, nemini ſcilicet ex doctorum numero inſcriptas, ac tantum populari ſtudio commiſſas, plerumque neglectui eſſe, aut certe oſcitanter legi; quo fit, ut de incognitis rebus praviſſima quotidie judicia temere proferantur, utque eruditorum hominum labores non ea qua par fuerat, gratiæ atque honoris mercede excipiantur. Tibi igitur, præ ceteris, viro quum in veteri elegantia, tum in omnis ævi doctrina ſummopere exercitato, qualecumque hoc induſtriæ ac diligentiæ ſpecimen mittendum eſſe exiſtimavi; futurum enim ſperabam ut nominis tui fama & celebritate, quæ ubique magna eſt, invitati complures, manum huic ſcriptioni noſtræ cupidius admoverent. Quod ſi etiam, præter te unum, qui noſtris hiſce legendis otium ſuum conſumere vellet, inventus eſſet nemo, non iccirco me laboris mei fructu, quem petiiſſem, cariturum videbam: ubi enim alia omnia adverſa atque inimica ſint, pulchrum tamen eſt, ſi minus ſucceſſum, at optimam ſaltem de diſciplinarum ſtudiis benemerendi voluntatem ſuffragio tuo graviſſimo comprobari. Sed quæ præterea me cauſ-

ſæ

ſæ impulerint ut hoc ad te litterarum darem, breviſſime, ſi potero, exponam. Audiebam te admodum adoleſcens, ſumma juventutis frequentia, in hoc Gymnaſio Patavino e ſuperiore loco philoſophiæ decreta illuſtri cum laude tradentem: audiebam doctorum virorum honeſtiſſimos de te tota urbe ſermones: audiebam quæ de ingenii tui magnitudine, de tua in veterum recentiorumque Phyſicorum commentariis evolvendis aſſiduitate ac ſollertia, de iſta præcipue, in homine philoſopho plane admirabili, qua ad Tullium proxime accedis, facultate dicendi, apud exteros eſſet opinio. Videram libros tuos quos *de Rebus Geſtis* inviĉtiſſimi Ducis *Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci*, tum quos *de Thermis Agri Patavini* copioſe atque ornate conſcripſeras; & quamvis ea ſubſidia omnia quæ ad recte judicandum requiruntur, nondum mihi per ætatem comparare potuiſſem, quo tamen in pretio habendus eſſes, ex ipſis librorum argumentis non inanem conjecturam faciebam. Acceperam etiam a majoribus natu, numquam te affinem fuiſſe earum rerum quas fert adoleſcentia; numquam, turpe otium atque inertiam ſecutum, corporis voluptatibus, bonorum ingeniorum peſtibus, te enervandum tradidiſſe; numquam ab honeſti rectique tramite vel tantulum deflexiſſe: at contra dies noctesque in bibliotheca tua deliteſcere, raro in foro aut in hominum conventibus conſpici ſolitum: ſemper ea meditatum quæ reipublicæ utilitatem, tibi ipſi gloriam afferre poſſent; virilem denique a puero ſeveritatem, prudentiam,

tiam, animique constantiam, non sine ingenti aequalium tuorum admiratione, praestitisse. Quae quum ego attentius considerarem, acres mihi ad virtutem stimulos exemplo tuo subjici sentiebam; quumque laudi tuae incredibiliter faverem, illum aliquando diem illucescere optabam quo quanti te facerem, certissimo testimonio omnino perspectum haberes. Huic porro nostrae, quam de tuo ingenio, doctrina, moribus, adolescens imbiberam, opinioni tantum abest ut grandior & confirmata aetas quidquam detraxerit, ut contra insignis accessio facta fuerit: multa enim quae propter judicii imbecillitatem antehac dignoscere nullo pacto poteram, nunc demum penitus intueri mihi licet. Hoc quidem tempore non id in te supra cetera admiror (quamvis id quoque vehementer admirer) quod tibi cum malis etiam hominibus commune esse nihil vetat; multarum nempe rerum scientiam cum singulari eloquentia conjunctam; verum praeclaris illis virtutibus facile primas tribuo quibus a te invidiam vulgi amoliris; ut nemini, nisi sceleratissimo, consuetudinem tuam, vitaeque rationem reprehendendi locus relinquatur. Quam enim demisse de te tuisque rebus sentis! quam principum virorum, quorum secretioribus consiliis non raro adhiberis, familiaritate innocenter uteris! quam omnibus auxilio tuo indigentibus facilem humanumque te praebes! quam ab obtrectandi libidine, ac reliquorum contemtu abhorres! quam aliena studia, honestosque conatus, ac si tua de gloria commodisque ageretur, quibuscumque rebus potes, adjuvas,

juvas, tueris, confirmas! Quid porro de pectoris tui candore dicam, nullo umquam malevolentiæ felle suffusi? quid de oris tui verecundia, qua omnium vel qui te primum viderunt, animos tibi concilias? quid postremo de illa tua in amicitiis colendis admirabili fide atque constantia, cujus non semel illustria a te data sunt documenta? Fuit hæc in amicos pietas, quemadmodum veteres tradidere, unum ex præcipuis Epicuri decretis, haud paullo gravioris philosophi quam vulgares censeant ludimagistri; cujus tu rationem philosophiæ, ut est a viro incomparabili Petro Gassendo, nonnullisque recentioribus emendata, & Christianæ religioni accommodata, in plerisque videris non improbare. Quo etiam nomine T. LUCRETIUM CARUM a te benigne exceptum iri confido, vitio quidem temporum suorum idemtidem insanientem, cetera vero ingeniosum, acutum, bonæ frugi poëtam; quodque tibi eum vehementius commendare debet, sermonis elegantiæ studiosissimum; quæ quamvis ab Epicureorum grege fere contemta, ad Epicuri tamen sententias cognoscendas, aliarum quoque sectarum homines facile invitare possit. Hæ sunt caussæ quibus adductus, te in rerum pulcherrimarum meditatione versantem interpellare ausus sum: nunc illud te rogo, ut si ea tantummodo in medium afferam quæ a te minime ignorantur, ne continuo mihi succenseas, quemadmodum Phormioni olim, inepto ac deliro seni, de re militari coram se disputanti, fertur Hannibal succensuisse: hæc enim quæ in gratiam tironum a

me

me conſcripta ſunt, eo conſilio ad te mittuntur, ut ea ſcilicet, ſi bona fuerint, auctoritate tua confirmare velis, ſin autem mala, caſtigare cenſura.

Omnis igitur quæ a LUCRETII poëmatis in legentium animos proficiſci poteſt utilitas, ea ſine dubio non aliunde quam ex rebus de quibus agit poëta, & ex ejus dicendi genere, oriatur neceſſe eſt. Si res ipſas conſideremus, tria potiſſimum diſpicienda occurrunt: quid videlicet de diis & religione, quid de animorum natura, quid de materia primiſque corporibus LUCRETIUS noſter, vel potius LUCRETIO interprete doceat Epicurus. Hæc ſunt, niſi fallor, deſipientis hujus ſapientiæ præcipua capita; quæ tamen a nobis breviter ſummatimque attingentur; non enim ad commentarium ſcribendum aggredimur (præſtiterunt id magna cum laude viri doctiſſimi) nec eſt ſane hujus loci aut temporis longiorem inſtituere diſputationem. Satis erit ſi juventutem monuerimus, ut meminerit, in LUCRETII lectione, tamquam in lubrico & periculoſo loco, ſibi caute ac ſuſpenſo pede incedendum: non omnibus quæ veritatis ſpeciem præ ſe ferre videantur, temere adſentiendum: ad naturæ ſæpe judicium, rectæque rationis normam provocandum: delectu denique utendum, quo & profutura pauca arripiantur, & multa nocitura declinentur. Hinc autem orationis noſtræ initium ſumemus.

Placet LUCRETIO, & reliquis Epicureis, perturbationes omnes quibus hominum vita exercetur,

cetur, metum in primis ac ſuperſtitionem, non alio pacto quam rerum naturæ cognitione, leniri ac mitigari poſſe: dandam iccirco operam philoſophiæ, non ut tantummodo inanem quamdam ſciendi cupiditatem expleamus, indoctique vulgi plauſum & admirationem copia verborum, & linguæ mobilitate aucupemur; quod multis olim propoſitum fuiſſe, & hodie adhuc eſſe, intelligimus; verum ut, populari errore depulſo, nihil jam abjectum cogitantes, contraque fortunæ vim, ac mortis terrorem animum erigentes, hoc, quod nobis datur, vivendi tempus tranquille beateque traducamus. Sapienter id quidem, ac bono exemplo; non enim ad hoc nati videmur, ut noſmetipſos negligentes, ac, tamquam incultos agros, vitiorum ſitu ac ſqualore horreſcere ſinentes, cæli terræque ambitum dimetiamur, & quæ natura denſiſſimis tenebris circumfuſa eſſe voluit, in iis veſtigandis toti ſimus: at potius ad ſtudium juſtitiæ atque honeſtatis; unde vera voluptas demum exſiſtit. Flagitioſum ſane ac miſerum eſt, homines in philoſophia diu multumque verſatos, plebejis adhuc & anilibus morbis laborare, adhuc lucelli amore flagrare, adhuc gloriolam captare, adhuc invidia tabeſcere, maliſque libidinibus tranſverſos rapi, adhuc ſpe ac metu jactatos fluctuare; quumque magnifica & ſublimi oratione ad populum uſi fuerint, in ea tandem probra incidere quæ a vulgaribus hominibus, naturam tantum ducem ſecutis, facile devitari videmus. Hinc fit ut philoſophi plerumque male audiant; ipſumque nomen philoſophiæ

apud

apud eos præſertim qui rem familiarem vel publicam gerunt, in contemtionem fere ac ludibrium venerit: exiſtimant enim, rem eſſe leviſſimam, neque omnino aliud quam callidam & ſpecioſam inertiam; quod ſcilicet neque locupletiores, nec adeo meliores familiares ſuos efficere ſoleat. Noſti, quid Centurio ille apud Perſium dicat: *

Quod ſapio ſatis eſt mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura quum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.
Hoc eſt, quod palles: cur quis non prandeat, hoc eſt.

At vero ſi ad mores formandos, vitæque commoda amplificanda totum hoc ſtudiorum genus adhibeatur, intelliget profecto populus, nullum eſſe negotium quod tam operoſo ſalubrique otio anteponi mereatur, honeſtioremque aliquanto opinionem de graviſſimis diſciplinis mente comprehendet. Ajunt, Socratem eo nomine philoſophos reprehendere ſolitum, quod otioſis diſputationibus tempus tererent, & in rebus a vitæ uſu remotiſſimis, omnemque intelligentiæ noſtræ conatum exſuperantibus multam eamque inanem operam collocarent: quamobrem ipſe primus philoſo-

* *Sat. 3. v. 78.*

losophiam e cælo deduxit, ac studium omne suum ad morum doctrinam convertit. Contra Epicurus, quum sibi finem bonorum unicam statuisset voluptatem, sive, ut invidioso vocabulo abstineam, animi a metu ceterisque perturbationibus omnino vacui, tranquillitatem, ac quodammodo libertatem; in abditas propterea rerum caussas iis inquirendum censuit qui tale ac tantum bonum adsequi voluissent: præcipuam enim malorum caussam hominibus esse arbitratus est veri ignorationem; quod non, uti Socrates, perdifficile inventu, vel, ut Arcesilas ceterique omnes novi Academici, omnino ἀκατάληπτον, * sed contra, sensuum ductu minime fallaci, promtum expeditumque, quin etiam strenue vestigantibus, ipsum per se benigne occurrere solitum existimavit. Hactenus laudari poterat Epicurus; modo ex rerum naturæ contemplatione, falsis ratiunculis deceptus, non eos dementiæ, stuporis, atque impietatis fructus collegisset qui ejus nomini perpetuas infamiæ notas apud posteritatem inusserunt. Metum, ait, præ reliquis animi perturbationibus ei cavendum esse cui curæ sit beate vivere; amorem enim, odium, dolorem, iram, paullo rarius, & quasi per intervalla, hominum vitam male habere: metum autem, tamquam Sisypho saxum, assidue capiti impendere, neque ullam adeo miseris voluptatem puram & defæcatam relinquere; quum scilicet præsentibus bonis minus gaudere oporteat in futurorum malorum cogitatione defixos. Est hoc Epicuro commune cum

* *quod comprehendi non potest.*

Stoicis, ex quorum præceptis hæc magnifice loquitur Epictetus: * κρεῖσσον γάρ ἐστι λιμῷ ἀποθανεῖν, ἄλυπον καὶ ἄφοβον γενόμενον, ἢ ζῆν ἐν ἀφθόνοις ταρασσόμενον. Sed ob id tamen Epicuri ratio vehementer improbari debet, quod nimirum religionem, ac insculptam in hominum mentibus de Dei providentia, & de animorum immortalitate opinionem, earum quæ in vita sunt molestiarum atque cruciatuum culpam pæne omnem sustinere voluerit: propterea que summa ope contenderit ut persuaderet, a diis neque mundum administrari, neque ullam rerum humanarum curam geri: animos item hominum, quod corporea natura præditi sint, una cum ipsis corporibus interire. Hæc enim tam absurda sententia malis potius, quam bonis videtur consultum velle. Boni siquidem suppliciorum terrore quæ apud inferos esse constat, quod videlicet ad se non pertineant, minime percelli solent: quemadmodum Lex Julia de adulteriis ei tantum formidanda est qui alienam uxorem corruperit; nemini autem, præterquam parricidæ, culleus metum incutere debet. Nec vero quum se a Deo curari cogitant, horrorem aliquem ex ea cogitatione percipiunt: quin etiam spes omnes suas in eo collocare, atque ab ipso innocentiæ, virtutis, multorumque benefactorum præmia, postquam corporum vinculis effractis, ex hac turba & colluvione discesserint, tamquam strenui milites ab æquis-

* *Enchirid. cap. 16. Præstat enim perire fame, timoris ac molestiæ expertem; quam copiis omnium rerum circumfluentem, animo vivere perturbato.*

æquissimo imperatore, exspectare consueverunt. Quæ præmia si auferas, non quidem ab honestate ad turpitudinem traducentur; gratuito enim recte agere, id demum est bonum esse; at fortasse in virtutis curriculo aliquid de pristina alacritate remittent. Mali contra, pœnarum metu depulso, qui solus eos in officio continere, aut saltem ab ultimis sceleribus perpetrandis cohibere poterat; si spes ulla se ostendat, occulta fore magistratibus quæ peccaverint, jam libidinibus habenas laxabunt, jam se omnibus stupris, perjuriis, sacrilegiis, cædibus contaminabunt. Egregiam vero disciplinam, quæ bonos a statu virtutis dejiciat, malos autem, proposita scelerum impunitate, ad securius peccandum invitet. At quibus tandem rationibus confirmat, humana diis curæ non esse? Sollicitudinis, inquit, expertes deos esse convenit, atque a rebus gerendis omnino feriari; id enim vel maxime ad beatitudinem pertinet. Quasi vero, ut nos homunculi negotiorum varietate ac multitudine obruimur, ita præcellens illa ac divina natura aut lassitudini obnoxia esset, aut diuturnæ administrationis tædio capi posset. Nonne hoc est, quemadmodum Ciceroni videtur, * *verbis relinquere deos, re autem tollere?* Porro, si dii neque gratia moveantur, neque ira tangantur, non video, quo pacto homines de eorum natura, vi, ac potestate quidquam suspicari potuerint; quam procul dubio, si per ipsius vestigia cognosci oportuit, beneficentia potissimum, ac vindicta oportuit innotuisse. Videtur

* *De Nat. Deor. l. 1. in calce.*

detur autem Epicurus jocari potius quam serio philosophari voluisse quum *deos non habere corpus, sed quasi corpus, non sanguinem, sed quasi sanguinem* (id quod testatur (1) M. Tullius) litteris traditum reliquit. Posuerat enim, duas tantummodo naturas in universo exsistere, materiam scilicet, sive corpuscula solida atque individua, & inane, quod locum corporibus daret, ipsisque admixtum rerum gignendarum caussa esset: nihil præterea excogitari posse quod per se exsisteret; reliqua vero omnia aut his duobus conjuncta, aut horum eventa appellari debere, ut ex his Lucretii nostri versibus constat: (2)

Præterea, nihil est quod possis dicere ab omni
Corpore sejunctum, secretumque esse ab Inani:
Quod quasi tertia sit rerum natura reperta.

& paullo inferius: (3)

Ergo præter Inane, & Corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui;
Nec quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quæcumque cluent, aut his conjuncta duabus
Rebus ea invenies; aut horum eventa videbis.

Igitur si dii corpore carent, secundum Epicuri sententiam nec omnino sunt: naturam enim ἀσώματον, (4) & ab omni materiæ concretione sejunctam, præter inane, ipse nullam agnoscit. Secum igitur pugnantia docet. Viderat nimirum,

(1) *De Nat. Deor. lib.* 1. *c.* 18. 25. 26.
(2) *Lib.* 1. *v.* 446. *& sequ.*
(3) *Lib.* 1. *v.* 431. *& sequ.*
(4) *Expertem corporis.*

mirum, si dii corpus habuissent, necessario futurum ut dissolutis corporibus, ipsi quoque perinde ac homines, & universa mundi compages, aliquando interirent; quod quum alienum deorum majestate judicaret, ut ii qui malæ caussæ patrocinium suscepere, ad sermonis argutias ineptiasque confugit. Turpem hanc magistri sui sententiarum inconstantiam videtur LUCRETIUS initio poëmatis imitatus: etenim qui contra deorum providentiam acerrime disputaturus erat, quasi prodito decreto, Venerem supplex rogat, ut ab amatore suo Marte Romanis civili discordia identidem laborantibus pacem impetrare velit. Qui nodus vindice dignus eruditissimorum hominum ingenia torsit, veluti ex quadam Petri Victorii Epistola ad Joannem Casam manifestum est. Ego vero existimaverim, Veneris auxilium iccirco invocasse LUCRETIUM ipso in limine operis sui, ut videlicet se poëtam ostenderet, significaretque, deos nusquam esse nisi in fabulis poëtarum: quibus alioqui omnem fidem abrogare conatus est libro secundo, ubi quid antiquitas de matre deorum Berecynthia, & de Curetibus ejus deæ sacerdotibus commenta fuerit, elegantissimis versibus exponit: & rursus libro quinto, ubi silvarum incolas Faunos, Nymphasque, tum Arcadiæ deum Pana, fistulatorem scientissimum, & si qua sunt alia Græcorum ingeniorum φαντάσματα, * urbane admodum ac lepide irridet. Quæ mihi attentius consideranti illud in mentem venit, tantam illam numinum mul-

 titu-

* *visa, spectra.*

titudinem quæ infelicibus illis temporibus *urbes ærarum compleverat*, ut noſtri poetæ verbis utar, ſapientiæ ſtudioſis cauſſam fuiſſe, cur oppoſitam (1) ἀθεότητος opinionem turpiſſime nanciſcerentur; quis enim, quæſo, naris paullo emunctioris, & a ſenſu communi non deſtitutus, ferre poterat minutos illos, & patellarios, tum vappas, ac nebulones deos; in hortorum angulis, in ſtabulis, in culinis, in cloacis etiam ac ſterquiliniis, ſtultiſſimorum hominum vota captantes? Igitur, ſi minus excuſatione, at certe miſeratione digni ſunt veteres philoſophi, qui quum adeo indigna de diis ſentire non poſſent, cupientes proferre meliora, ipſi quoque a veritate longiſſime aberraverunt. Ceterum ea vis eſt naturæ, ut non ſolum Plato, Ariſtoteles, & plerique alii acerrimo ingenio viri, unum rerum omnium auctorem & conſervatorem Deum (qui nobis Chriſtianis maximo ac ſingulari beneficio pleniorem ſui notitiam largiri voluit) cogitatione adſecuti fuerint, tametſi qualis eſſet minime perſpexerint; verum etiam LUCRETIUS ipſe vel invitus eum quodammodo agnoviſſe, immo & faſſus eſſe videatur. Quo enim illa pertinent e quinto libro? (2)

Uſque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſceis, ſævaſque ſecureis
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

Profecto dii nihil agentes, & qui nullum ob ſcelus indignantur, a rebus humanis permiſcendis abſtinere dicendi ſunt.

Quam

(1) *impietatis, quæ deos eſſe negat.*
(2) *verſ.* 1232. *& ſequ.*

Quam vero laborat poëta noſter, quam æſtuat, quam ſe expedire neſcit, ubi hominum animos, quemadmodum reliqua omnia, e corporeis particulis, tenuiſſimis illis quidem atque incredibili pernicitate agitatis, conſtare docet! Dixeris eum inſtituti ſui pœnitere, qui materiam quocumque tandem partium ordine diſpoſitam, motuque incitatam, ſenſus, cogitationem, prudentiam, memoriam denique efficere poſſe, & ipſe crediderit, & alios perſuaſum habere voluerit. Quod certe ſi quis accuratius animadverterit, abſurdorum omnium maxime abſurdum eſſe deprehendet. Calorem, aërem, ventum ad effingendum animum commiſcet LUCRETIUS; quibus tamen propoſiti operis ſummam confici non poſſe, intelligit: addit igitur quartam naturam, expertem nominis, unde, tamquam a fonte, incipiant oriri ſenſus: eam perſubtilem eſſe dicit, corpoream tamen. At quum corpus, quantalibet tenuitate præditum, corpus numquam eſſe deſinat, ſemperque a cogitationis natura plurimum diſtet, iccirco iiſdem rurſus difficultatibus poëta premitur; quas, ut erat perſpicax, videre facile potuit; ut peſſimæ cauſſæ favebat, vitare nullo pacto potuit. Quamobrem argumenta quibus animos poſt mortem nequaquam ſupereſſe, at ſtatim retexi & diſſipari contendit, quod infirmo fundamento ſubnixa ſint, jam omnia ſua ſponte corruunt; quæ ſane, ſi primum illud concederetur, ipſos nimirum corporea conſtare natura, plurimum ponderis ac momenti habitura fuerant.

Venio nunc ad illam in qua fortunæ omnes

Epicureorum positæ sunt, de primis corporibus, & de materiæ soliditate sententiam. Docet igitur Lucretius ex magistri præceptis, innumera esse in rerum natura corpuscula, exiguitate sua sensum omnem fugientia, compositionis, & sensilium qualitatum expertia, partes quidem habentia, sed eas quæ nequeant separari, variis figuris prædita, æterna, per infinitum inane irrequieto motu deorsum tendentia, quorum fortuito concursu, sine ullo deorum adminiculo, non solus hic quem incolimus terrarum orbis, & circumfusus ipsi æther aliquando procreatus fuerit, verum etiam alii extra hunc innumerabiles mundi omnibus minimis temporum punctis procreentur; quos tamen singulos, exacta ætate, ob assiduos materiæ nisus corrumpi oporteat, eadem semper incolumi permanente. Immodicam profecto corpusculis hisce vim atque licentiam tribuisse videtur Epicurus. Quum etenim ceteri philosophi pæne omnes naturam, ut ait Cicero, (1) in duas res omnino dividerent, quarum altera esset efficiens, altera vero huic se formandam atque efficiendam præbens; quumque in ea quæ efficeret, vim quamdam & facultatem, in ea quæ efficeretur, materiam esse censerent; quemadmodum Plato mundi deum architectum, res pulcherrimas ex informi materiæ sinu educentem describit, (2) Stoici vero calorem illum ac spiritum per cæli terræque spatia diffusum jactare non desinunt,

(1) *Academic. Quæst. ad M. Varronem lib.* 1. *cap.* 6.
(2) *in Timæo, & in libro de Anima Mundi.*

ſinunt, quem mundi animum appellant: (1) placuit Epicuro, Democriti rationem ſecuto, materiam nullo alio indigere a quo moveatur, ipſamque ſuopte motu cieri. Hunc autem motum inferiora verſus eſſe dixit; credo, quod reliqua corpora ex primis apta deorſum ferri vidiſſet; in quo ille, mea quidem ſententia, vehementer falſus eſt. Quid ſit enim *deſcendere* in infinito inani, ubi nihil medium eſt, quo ex omni regione pondera detrudantur; quæ item ſuperæ, quæ inferæ partes in eodem appellari debeant, intelligere poſſe arbitror neminem. Porro, quæ de atomi recta deſcendentis levi declinatione, nec certo loco, nec tempore fieri ſolita, ut res nimirum effici poſſent, fatique neceſſitas tolleretur, arbitratu ſuo ſomniavit Epicurus, noſtra refutari oratione non poſtulant, quum eorum vanitatem copioſe ac luculenter ſuo more oſtenderit M. Tullius in libris quos de Finibus Bonorum & Malorum, ac de Fato conſcripſit. Neque a nobis exſpectandum eſt, ut puerilem ac ineptam illam de ſimulacris fabulam, in qua exponenda plurimos atque egregios verſus perdere non dubitavit LUCRETIUS, cachinno & ſibilo excipiamus. Ipſa quam ſit futilis, per ſe declarat: neminem autem ſanum in errorem poteſt inducere.

Fatendum tamen eſt, quum tot ac tanta peccent Epicurei, multa nihilominus ex ipſorum diſciplina vitæ admodum utilia, & ipſi Chriſtianæ religioni conſentanea diſci poſſe. Quod enim ſenſus defendunt adverſus Academicorum argutias, neque animi errores iis tribuendos eſſe clamant;

(1) *Cic. de Nat. Deor. lib.* 2.

mant; quod res certas a dubiis diligenter ſecernendas, nec cuiquam viſo temere adſentiendum, monent; quod in fulminum, tonitruum, aliarumque rerum quæ in ſublimi gignuntur, terræmotuum item, ac morborum quorumdam cauſſis explicandis aut vera, aut ſaltem veris affinia proferunt; quod mundum denique ortum, atque aliquando interiturum teſtantur; gratiæ illis habendæ ſunt, nec eſt cur eorum cogitatis atque inventis uti nolimus. Præterea, ut ad Lucretium referatur oratio, multa ſunt in hoc poëmate, de mortis contemtu fortiter, de temperantia graviter, de humanitate leniter, poſtremo de animi tranquillitate dicta ſapienter. Quibus rebus factum eſt, ut veteres illi Eccleſiæ patres, ſumma ſanctitate ac doctrina viri, Arnobius in primis, Lactantius, ac Prudentius, a Lucretii lectione non abhorruerint, ut ex eorum ſcriptis facile apparet; quum enim ſententiarum pondere, tum verborum luminibus, quibus totum hoc poëma, quaſi gemmulis quibuſdam, conſperſum eſt, mirifice capiebantur.

Hactenus de operis argumento, quantum inſtituti noſtri ratio poſtulare videbatur, dictum a nobis eſt: deinceps de ſermonis genere quo uſus eſt Lucretius, breviter conſiderandum. Si quis autem plura & pleniora expetiverit, is Dionyſii Lambini, atque Oberti Gifanii, virorum doctiſſimorum, ac de poëta noſtro optime meritorum, lucubrationes adire ne gravetur; quibus pauca omnino ſuperſunt quæ adjiciamus. Mirus eſt igitur in Lucretii carminibus Romanæ orationis nitor, mirus verborum delectus ac ſplendor;

dor; quod scilicet ejus ætate nondum multitudo illa peregrinorum, atque inquinate loquentium in urbem confluxisset, quæ Latinam linguam iis quæ poëtæ mortem consecuta sunt temporibus, ita paullatim immutavit, ut alia prorsus videretur. Ex hac porro emendate ac pure loquendi facultate, jucunda legentibus oritur perspicuitas, quæ rebus alioquin obscuris, & intellectu difficillimis, quales necessario sunt quæ a philosophis tractari solent, clarissimam lucem adfert; quo in genere LUCRETIUM excellere, dubio procul fatendum est. Vix enim unus aut alter ex numero philosophorum (te unum semper excipio, JOANNES GRATIANE) soluta oratione ea persequi commode possit quæ scriptor elegantissimus nullo negotio versibus explicavit. Non solum autem proprietatem verborum, caussam esse crediderim cur Epicuri doctrina, quam LUCRETIUS exponit, facile percipiatur; sed præterea ordinem, ac totius operis partitionem; qua nimirum alia ex aliis præcognitis ita pendent, omniaque inter se apta & connexa sunt, ut homini non hebeti sciendi cupiditatem addant, de studii vero molestia & labore multum imminuant. Atque hæc LUCRETIUM ea tempestate præstitisse, qua Græcorum inventa, subtilesque de rerum natura quæstiones Latinis litteris tradi ac perpoliri posse doctissimi etiam Romanorum diffidebant, quantum a justis æstimatoribus haberi debet! Verbis quidem horridis, & obsoletis, numeris item præfractis, & asperis, quos ab Ennio aliisque antiquioribus poëtis acceperat, sæpius

pius utitur; sed ut sublimitatem, ac majestatem quamdam orationi conciliet, tum etiam ut satietatem devitet, in quam eos incidisse videmus qui se suaves semper & comtos, numquam austeros & grandes esse voluerunt. Non sum nescius, inveniri nonnullos, ab omni elegantia sermonis, & præcipue a Musarum familiaritate alienissimos, quibus LUCRETIUM vel digito attingere religio futura sit: dictitant enim, se, rebus supervacaneis omnino abjectis (ita hæc studia quæ ab humanitate nomen habent, ipsis appellare placet) nudam & simplicem colere veritatem, quam inanium verborum phaleris violari & obscurari nolint: nihil esse poëticæ levitati cum philosophia commune: hujuscemodi nugis bona adolescentium ingenia depravari, aut obtundi: postremo, tempus omne male perire quod non in solidiorum disciplinarum studio & cognitione ponatur. Hi sunt scilicet qui cum litteris assidue bellum gerunt, qui Aristotelem, Platonem, Theophrastum, ac veteres pæne omnes philosophos præ se stupidos & nihili homines fuisse judicant, quod non, ut ipsi, infantes & barbaros se in philosophando præbuerint, neque in disputationibus gravissimis, poëtarum testimonio abuti veriti sint: hi sunt qui M. Tullii Ciceronis nomine audito, ludimagistri cujusdam de trivio mentionem fieri putant. Hos ego si caussas docere velim propter quas LUCRETIUS philosophiæ decreta carmine potissimum tradere aggressus fuerit, nihil profecto agam; non enim umquam adduci poterunt ut se omnium bonarum

rerum

rerum ignaros, omnis eruditionis expertes esse fateantur. Valeant igitur præposteri homines, qui libellos suos (horribiles, boni superi, & sacros libellos!) quos ne ipsi quidem interdum ex animo satis probant, ætatem ferre, ac famæ antiquorum officere posse confidunt. Quamobrem optimos adolescentes, & LUCRETII nostri studiosos, non hos honestarum artium osores, quæ deinceps dicturus sum, legere & cognoscere cupio. Ea est ad permovendos tenendosque hominum animos pulchritudinis vis atque natura, ut res quantumvis utiles, nisi hac, tamquam condimento aliquo suavissimo, adspersæ fuerint, ob adjunctam ipsis difficultatem, paucos omnino amatores invenire videamus. Ex hoc fonte, non aliunde, artes pæne omnes quæ vitæ commodis inserviunt, originem duxisse videri possunt. Non enim, ut exemplo rem illustremus, satis est architecto si domum exstruat firmam atque solidam, quæ diurnum lumen admittat, imbres & frigora nimiosque ardores excludat: verum etiam id propositum habet, ut apta partium dispositione, specieque operis grata & eleganti, decora sit atque aspectui jucunda. Idem in vestium ornatu, idem in cibis parandis, idem in militaribus armis, idem in sollemnibus pompis, omnique religionis cultu quotidie servari cernimus. Quid? non ille orbis conditor Deus, quum hanc rerum universitatem, tamquam ingentem aliquam domum in usum hominum creare statuisset, eam ornamentorum omnium varietate distinguere ac insignire voluit? quam Græci universitatem ab

orna-

ornatu κόσμον, Latini *mundum* appellavere. Sciebat enim sapientissimus artifex, divinum hoc, & rationis particeps animal pulchritudine potissimum affectum iri. Sæpe quidem sum admiratus, quidnam esset, cur, ut quæque res pulchritudinis plurimum in se contineret, ita maximis obsæpta esset difficultatibus; vetus enim illud experientia comprobari videbam, χαλεπὰ τὰ καλά. (1) Inveniebam autem, quum ad difficilia, eademque profutura, capessenda hortari natura homines vellet, eosque a laboribus subeundis vehementer abhorrere intelligeret, honestatem, pulchritudinem, gloriam, uberrimam contentionis mercedem ipsis proposuisse. Quæ quum ita sint, magna profecto laus Empedocli, ac LUCRETIO nostro debetur, qui philosophiam, rem humano generi saluberrimam, at, si cultum ei omnem, & quasi vestem orationis detraxeris, tristem ac morosam futuram, carminum suavitate ac pulchritudine, quibus nihil in vita dulcius, juventuti amabilem atque expetendam reddere voluerint. Operæ pretium est ipsum audire LUCRETIUM, consilium suum ita Memmio exponentem: (2)

-- -- quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi musæo dulci contingere melle,

Si

(1) *Difficilia, quæ pulchra.*
(2) *Lib.* 1. *v.* 942. *& sequ.* *& Lib.* 4. *v.* 18. *& sequ.*

Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum, qua conſtet comta figura.

Decebat præterea, niſi fallor, res minime humiles aut populares, non familiari & quotidiano dicendi genere, ſed maxime ſublimi, quale ſcilicet poëtarum eſt, explicari: quemadmodum ab Homero, pluribus in locis poëmatum ſuorum, ſapientiſſime fictum eſt, alia deos, alia homines lingua uti: mentis enim altitudinem electa & magnifica verba, atque a vulgari conſuetudine remotiſſima ſubſequi neceſſe eſt. Quærat fortaſſe aliquis, quid ſibi voluerit Q. Cicero, cui adſentitur (1) Marcus frater, quum LUCRETII *poëmata non ita multis luminibus ingenii, multæ tamen artis eſſe*, judicavit: quod Q. Ciceronis judicium (2) Dionyſius Lambinus, ut ægre admodum ferebat, LUCRETIO ingenii laudem eripi, aut perperam explicaſſe, aut ſaltem callide videtur diſſimulaſſe. Multa occurrunt quæ reſponderi poſſint, at illa in primis; ex M. Tullii verbis modo memoratis nihil aliud colligi, niſi, præ admirabili artis præſtantia, quam LUCRETIUS in ſuis de rerum natura carminibus adhibuerit, ſi qua ipſis inſint ingenii lumina (inſunt autem plura, & egregia) non adeo apparere: vel ipſum operis argumentum arte magis quam ingenio tractari poſtulaviſſe; quod poëta opti-

(1) *Lib.* 2. *ad Q. Fratrem, Epiſt.* 11.
(2) *In Diſſertat. de T. Lucretii patria, genere &c. tertiæ ſuæ hujus poëtæ editioni præfixa.*

optime præſtiterit. Non enim eadem Lucretii ratio erat, Epicuri ſententiam exponentis, quæ Tragicorum, Epicorumque poëtarum eſſe ſolet, qui niſi res incredibiles, & monſtra paſſim confingant, ſtatim de manibus deponuntur. Utcumque vero res ſe habeat, (nam a Jano Grutero, & Jacobo Gronovio verba illa Ciceronis aliter leguntur) quoties ab anguſta philoſophiæ ſemita in late patentes eloquentiæ campos evagari libuit poëtæ noſtro, quantum ingenio valeret, ſatis oſtendit. Principiis & finibus librorum nihil elegantius, nihil ſplendidius, nihil jucundius excogitari poteſt. Quam copioſe atque eleganter deſcribit Lucretius mutuas inter Martem Veneremque blanditias! Religionem truculento aſpectu a cæli regionibus mortalium generi minitantem! Iphigeniam, ſuperſtitione Agamemnonis patris, ad aram Dianæ, hoſtiarum more, raptatam! Corybantes circum Cybelem æra quatientes! cruciatus denique illos quos poëtæ apud inferos eſſe finxerunt, ſceleſtis hominibus in hac vita ingenioſiſſime accommodatos! Porro quis negaverit, ea eſſe pulcherrima quæ de malis ex amore naſci ſolitis, de puellularum & amatorum vitiis, de agreſtibus & immanſuetis primorum hominum moribus, de peſtilentia denique Athenis graſſante poëta noſter litteris tradidit? In quibus omnibus profecto tanta vis elucet ingenii, ut plane dolendum ſit, tam illuſtre bonum ab egregio ſcriptore ad Epicuri potius, quam vel ad Platonis, vel ad Ariſtotelis, vel ad Zenonis etiam, meliorum longe

phi-

philoſophorum, ſententias explicandas collatum eſſe.

Jam omnium quæ propoſueram, tractatione abſoluta, reliquum eſt, Vir doctiſſime, ut quid in LUCRETIO typis recudendo ego meuſque frater præſtiterimus, paucis enarrem. Primum omnium, ut poëmatis contextum quam emendatiſſimum daremus, Editionem Londinenſem Anni cIↄ Iↄccxii. maxime accuratam atque elegantem, plerumque ſecuti ſumus, quæ fere cum Dionyſii Lambini Editione conſentit: nonnullas tamen Thomæ Creechii Angli caſtigationes, qui non ita multis ab hinc annis LUCRETIUM interpretatus eſt, quod nobis vehementer probarentur, & ad veritatem proxime accedere viderentur, libenter ſumus amplexi. Utile autem gratumque lectoribus futurum exiſtimavimus ſi ejuſdem Creechii Argumenta ſingulis libris præponeremus, & quæ idem adverſus impias ineptaſque Epicuri opiniones, breviter quidem, at nervoſe acuteque diſputavit, ſingulis pariter ſubjungeremus. Variarum Lectionum libellum, quem Londinenſes ex præſtantiſſimis Editionibus, ac MSS. Codd. congeſſerunt, omittere noluimus: quamvis non ignoraremus, fore ut hic labor noſter in multorum reprehenſiones incurreret, eorum videlicet qui quum ipſi minutam hujuſmodi diligentiam numquam adhibeant, in aliis etiam irrident. At publicis utilitatibus conſulentem, quid imperiti, aut malevoli homines de ſe in angulis tabernarum effutiant, non admodum curare oportet. Utinam vero ea nobis temporis copia ſup-

peditasset, ut Codices duos manu exaratos, quos ex Bibliotheca Canonicorum Ecclesiæ hujus Patavinæ, antiquis voluminibus instructissima, depromtos, nobiscum perbenigne communicavit Vir nobilitate, doctrina, vitæ integritate præcellens, Comes Trojanus Borromæus, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, per otium scrutari potuissemus! Horum alterum Petrus Barrocius, Episcopus Patavinus, homo, ut illis temporibus, non vulgariter doctus, ipse sua manu descripsit. At si novam aliquando Lucretii editionem nobis adornare contigerit, varias ex iis Codicibus lectiones, modo pretium operæ fuerit, proferre in animo est. Ne quid tamen dissimulem, quum unam aut alteram utriusque libri paginam attentius perlegissem, eos adeo inter se similes esse deprehendi, ut Terentianum illud * de ipsis dici posse videatur:

Qui utrumvis recte novit, ambos noverit.

Verborum denique obsoletorum, & numerorum rationem, tum singularium loquendi generum quæ a Lucretio usurpata sunt, locupletissimum Indicem, summaque industria elaboratum, adjunxi: in quo conficiendo, si me ab Oberti Gifanii doctissimis Conlectaneis adjutum negem, impudens profecto sim. Non tamen ejus viri auctoritatem ubique mihi sequendam esse duxi, & quæ in illis dicta erant fusius, ipse in adolescentium gratiam contraxi, & multa denique de meis adversariis quotidianis excerpta eodem importavi; ut quivis facile intelliget qui opellam hanc nostram cum Gifanii laboribus comparare voluerit.

Hæc

* *Andriæ Prologo v.* 10.

Hæc erant, Vir celeberrime, de quibus apud te verba facere non inutile arbitrati ſumus; quæ omnia, pro tua ſingulari humanitate, æqui bonique conſulas, rogamus, quum propter ipſarum rerum dignitatem, tum propter nos etiam tui ſtudioſiſſimos; qui non plane nulli ſumus; cœpimus enim, ut audimus, inſtituto hoc noſtro juvandi optimas litteras, malorum invidiam promereri. Vale. Patavii Kal. Januarii Anno a Virginis Partu cIↃ IↃ CCXXI.



INDEX
NOMINUM PROPRIORUM,

Rerumque memorabilium quæ in Orationibus Vulpii de Ariſtotele, atque in Syntagmate de Veteribus Philoſophis continentur.

A

Ana-

D

E

F

G

H

He-

K

L

M

Mi-

P

Phœ-

Ro-

FINIS.



PATAVII. CIↃIↃCCXLIV.

PRID. IDUS SEPTEMBRIS.

Excudebat JOSEPHUS COMINUS.